3 BB 9
12

MUSÆ ETONENSES:

SEU

CARMINUM DELECTUS

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITUS.

Παιδικοὶ δ' ὕμνοι φλέγονται. BACCHYLIDES.

TOMUS I.

R Etonensis

LONDINI:
EXCUDIT G. STAFFORD.

1795.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

REVERENDO ADMODUM ET ERUDITISSIMO VIRO

G. HEATH, D. D.

REGIÆ SCHOLÆ ETONENSIS ARCHIDIDASCALO,

CUJUS SUB AUSPICIIS

PUERITIAM FELICITER PEREGIT;

HOC OPUSCULUM

OMNI AMORE, STUDIO, AC REVERENTIA,

GRATISSIMAQUE BENIGNITATIS ERGA SE

MEMORIA,

ALUMNUS EX GREGE ILLIUS AMANTISSIMUS

D. D. D.

DUM TIBI PRIMA TUI SACRAT MUNUSCULA CULTUS,
DONAQUE FERT TIMIDA CALLIOPE CITHARA;
SI QUID HONORATÆ PLACEAT FELICIUS AURI,
SIT TUA COGNATO LAUS REDIVIVA CHORO.

1795. ETONENSIS

LIST

OF

SUBSCRIBERS.

Those with [*] *are for the large Paper.*

MR. Abercromby.
* —— Adair.
—— R. Ainsley.
* Lord Andover.
* Rev. Mr. Astley.
* Lord Auckland.—Do. *small paper.*
* Mr. G. Aylmer.

— Baines.
* W. Baker, Esq.
* Mr. W. Baker, 2 *copies.*
* — Barnard
Rev. Mr. Barton.
Mr. Baylay.
— E. Bayley.
* T. B. Bayley, Esq.
* Mr. H. V. Bayley, 2 *copies.*
* — Beadon.
Hon. Mr. Bennet.
* Rev. Dr. Berdmore, *Warden of Merton, Oxford.*
Mr. Berens.
Mr. Bethell.
* The Earl of Beverley.
Mr. J. Bindley.
Lord Binning.
Mr. J. W. Birch, 2 *copies.*
* — Bosanquet.
— H. Bower.
Rev. Mr. Brackin.
——— T. Briggs.
——— J. Briggs.
* The Dean of Bristol.
* Rev. T. Bromley.
* Count Bruhl.
* J. Bryant, Esq.
* The Duke of Buccleugh.
* J. Bullock, Esq.
Mr. Burdon.
— Collin Burges.
— Burton.
* Rev. Mr. Weeden Butler.

* The Archbishop of Canterbury, 2 *copies.*

* The Earl of Carnarvon, 2 *copies*.—Do. 2 *small paper*.
* Rev. Mr. Carver, *Archdeacon of Surry*.
* ——— Chamberlayne, *Vice Provost of Eton*.
Mr. J. Christian.
* — J. Clarke.
Hon. Reginald Cocks.
* J. Coker, Esq. 2 *copies*.
Mr. W. Coltman.
* Captian Commerall.
* Mr. E. Cooke.
— Cooksey.
Rev. Mr. Cooper.
* Sir G. Cornewall.
* The Earl of Coventry.
* —— Crawford, Esq.
Mr. Creswicke.
* J. C. Crooke, Esq. 2 *copies*.
Do. 2 *small paper*.
* Mr. J. Crooke, 2 *copies*.

* The Earl of Dalkeith.
Mr. Davy.
* Rev. Dr. Davies, *Macclesfield*.
* —— Mr. Davies.
* Hon. Marmaduke Dawnay.
* —— T. Dawnay.
* J. Dearden
Sir J. W. De Lapole.
* Mr. Denman.—Do. *small paper*.
— Digby.
The Bishop of Down.
Mr. Drury.
* The Bishop of Durham.
Lord Ebrington.
* Sir J. Eden.
* — Moreton Eden.
— Fred. Eden.
* Mr. Eden.
* — Moreton Eden.
Rev. E. Edwards.
Mr. Ernest.
The Provost of Eton.
Rev. R. Evans.

* The Earl of Fitzwilliam.
* G. T. H. Foote, Esq.
* Mr. T. Foster.
* — T. H. Frere.
* — W. Frere.
* Rev. Isaac Frowd.

* —— Mr. Gairdner.
Do. *small paper*.
* Mr. Garland.
— Gibbs, 2 *copies*.
* — Ginger.—Do. 3 *small paper*.
Rev. J. Gisborne.
The Bishop of Gloucester.
Mr. R. Goldsmith.
Rev. W. Goodall.
* —— J. Goodall, *Eton*.
Do. 2 *small paper*.
* J. Graham, Esq.
* Mr. T. Graeme.
* The Duke of Grafton.
* Right Hon. J. Grenville, 2 *copies*.
Mr. Grimes.
— J. S. Grover.

* — Hallam, 2 *copies*.

* Mr. Hallifax.
— Hamilton.
* — W. Hanbury.
* Rev. J. Hannington.
Hon. Mr. Harbord.
* G. Hardinge, Esq. M. P.
* The Earl of Hardwicke.
Rev. T. Harwood.
Mr. C. Hatch.
— C. Hayes, 2 *copies.*
— Healy, *Berkhamsted.*
Rev. Dr. G. Heath, *Eton.*
Mr. B. G. Heath.
* —Heber.—Do. *small paper.*
* Hon. Captain Herbert.
* —— G. Herbert.
* Rev. C. R. Herbert.
* Marquis of Hertford, 2 *copies.*
* Christian Gottlob Heyne, *Professor at Goettingen.*
Mr. Hibbert.
* — T. Hill.
— H. Hippisley.
* — Hobhouse.—Do. *small paper.*
— Hodges.
* — T. Holmes.
* Rev. T. R. Hooker.
Mr. Hooper.
* — T. Hooper.
* Rev. Mr. Hornby.
Mr. J. Hornby.
— Geoffrey Hornby.
— E. Hornby.
Hon. T. Howard.
* Rev. Mr. Hudson.
Rev. Dr. James.
—— Mr. Ingles, *Rugby.*
* R. P. Jodrell, Esq. M. P. 2 *copies.*
* Mr. Jodrell, 2 *copies.*
— T. Jodrell.
— V. Jones.
P. Johnston, Esq.
* Hon. Mr. Irby.
* Rev. Dr. Isham, *Warden of All Souls, Oxford.*

* Mr. Keate, *Eton.*
Hon. Mr. Kenyon.
—— G. Kenyon.
* J. Gally Knight, Esq. M.P.
* Mr. B. King, 2 *copies.*
* Hon. Mr. Kinnaird.—Do. *small paper.*

Mr. James Langham.
* Mr. J. Laine.
Hon. — Lamb.
* Rev. Dr. Langford, *Eton.*
* —— T. Langly.
Mr. R. Latouche.
Rev. Mr. Lee.
—— Leigh.
* Mr. G. Leycester.
— G. Leycester, *Eton,* 2 *copies.*
* — Hugh Leycester.
The Bishop of Litchfield.
* Mr. C. B. Long.
Rev. Mr. Lloyd.
* Mr. Lunn, 3 *copies.*—Do. 3 *small paper.*

* The Duke of Marlborough.

Rev. Dr. Paggen Mayo.
Mr. Mansfield, 2 *copies*.
— J. Mansfield.
Mr. Markland.
* Hon. and Rev. Jacob Marsham.
* Hon. Mr. Marsham, 2 *copies*.
Mr. Mathews.
* Rev. Mr. Meakin.
——— Mitchell.
* Lord Montagu.
* Mr. C. Moore.
* — R. Moore, 2 *copies*.
— J. Mortlock.

* Hon. and Rev. Mr. Neville.
* —— Neville, Esq. M. P.
Mr. R. Neville.
— R. Newbery.
— G. Noechden.
* The Duke of Northumberland.
* The Bishop of Norwich.

Rev. Dr. Orme.
* Lord Ossulston.

Mr Parker.
* — C. Peers.
* — Peploe.
W. W. Pepys, Esq.
Mr. W. W. Pepys.
— Phillimore.
— Ponton.
* Lord Porchester, 2 *copies*.
Rev. Mr. Powell.
* The Earl of Powis.
—— Powis, Esq. M. P.
* Rev. Dr. Price.
* Mr. Puller.
* Hon. Philip Pusey, 2 *copies*.
* Mr. Putt.—Do. *small paper*.
* Rev. J. Radcliffe.
—— R. Raikes.
—— Dr. Randolph, *Bath*.
Mr. Reid.
Rev. Dr. Rhudde.
Mr. Richardson.
Rev. S. Rice.
—— W. Roberts, *Eton*.
—— J. Roberts, *Eton*.
* The Dean of Rochester.
* Lord Romney, 2 *copies*. Do. 1 *small paper*.
* G. Rose, Esq. M. P.
* G. H. Rose, Esq. M. P.
* Mr. W. S. Rose.

Mr. Sabine.
—— Sargent, Esq. M. P.
* Rev. Mr. Savage, *Eton*.
* Mr. Saxton.
Sir W. Scott.
* Hugh Scott, Esq.
Mr. W. Selwyn.
— Shapland.
* Rev. Mr. Shepperd.
* Mr. C. Shepperd.
* — Skeete.
— T. Smith.
— Sumner Smith.
* Rev. Mr. Smith.
* —— Smyth, Esq. M. P.
Mr. Smyth.
* The Duke of Somerset.
* — Earl of Spencer.
Mr. Spry.
* Lord Stanley.

* Rev. Mr. Stevenson, *Eton.*
* —— Dr. Sumner.
Mr. J. Sumner.
— Sumpter.
Rev. Mr. Sumpter.

* —— Mr. Tew, *Eton.*
Mr. E. Thackeray.
Rev. Mr. Townshend.
* Mr. Trevilyan.
— D. Turner.

— Vansittart.

Rev. Gilbert Wakefield.
* Dr. Wall, *Oxford.*

* Sir Peter Warburton.
* Gregory Lewis Way, Esq.
* Mr. W. Way.
— Martin Whish.
— Williams.
— Wintour.
— Wood, *Ch. Ch. Oxford.*
— Woodroffe
Rev. F. Wrangham.
Mr. Wyatt.
* Joseph Wyndham, Esq.

Mr. Brownlow Yorke.
* Sir W. Young, M. P.
* Mr. W. Young.

LECTORI S.

DUM paucis quibusdam de hôc, qualecunque sit, opusculo te moror, omitto tamen de vulgandis puerorum scriptis disputare, quippe qui ad labores hujusmodi proferendos minimè me primus accinxerim: scio equidem hoc a doctis viris sæpissimè versatum, plurimisque et reprehensum et vindicatum fuisse argumentis.

Quòd si ex isto versiculorum delectu jampridem in lucem edito, aliquid aut opis aut ornamenti matri Etonæ accreverit; spero saltem, imò prope affirmare ausim, nihil eam vel gloriolæ vel dignitatis fore hinc amissuram: nisi fortè incuriâ meâ quædam ex insperato macula in hæc irrepserit. De hisce ergo poematibus lector ingenuus, pro eo ac merentur, decernat; qui tamen monendus est, quibuscunque nota [*] præfigitur, quintæ classis

esse; reliqua sextæ, et (nisi quid me fefellerit) omnia ad Præpositum missa ludi impetrandi gratiâ, iis tantùm exceptis, quæ notâ [‡] designantur: omnia certè Etonæ condita fuisse. Neque verò sum ignarus plurima in his carminibus non absolutæ prorsus Latinitatis ab acriori judice fore animadvertenda, quæ tamen emendare sum veritus: inter hæc, voces *satellitium*, *ausus*, *cælitus*, *Maia* pro mense *Maio*, &c.; syllabæ § ultimæ ante duo sequentes consonantes correptæ; infinitivum poëticum *ier* in versu elegiaco; syllabæ § ultimæ in metro Glyconico non ἀδιαφόροι; dictiones encliticæ *ve* et *que* polysyllabicis adjectæ in fine tertii versûs Alcaici, quod nec semel apud Horatium; præcipuè cùm hanc solam ferè ejus imitatòr Sarbievius sibi non nisi semel permiserit licentiam: cum aliis quibusdam sunt enumeranda. Pro omnibus quibus benigni lectoris indulgentiam mihi polliceor, cùm reputaverit, omnia hæc esse puerorum scripta, pleraque vel biduo vel breviore temporis spatio confecta, non sine permultis et ludi et studiorum avocationibus; et, licet a præceptoribus leviter fuerint castigata, non ideò facile esse ex illis

§ *Vide Dawes, Miscellanea Critica.*

minutiores quasque mendas excerpi: præsertim cum juvenilis ingenii impetus criticam moram perhorrescat, et, quæ laudis æmulus scripserit, lituris dedecorari ægrè ac molestè ferat. Si igitur puerilium laborum fautor inter hæc Tibulli nonnunquam teneritatem, Ovidii facilitatem, Flacci elegantiam, vel dignitatem Maronis admiretur, ne Atticam illam ubique flagitet atque desideret severitatem: spero tamen nullum majoris momenti errorem oscitatione meâ locum obtinuisse.

Quòd ad me pertinet; ubicunque minùs arridens verbum rejicere coactus sum, dedi operam, ut nec inelegantem prorsus, præcipuè verò ne inusitatam vocem auctori obtruserim. Græcis porrò carminibus, quâ potui diligentiâ, accentus imposui; et si in illis aliquando peccaverim, pro opere longo, ac mihi quidem (cùm a typographeo procul abfuerim) permolesto, veniam a benigno lectore, nec injuriâ sanè, postulaverim.

P. S. Multo cum meo dolore tot et tantos, post operam a me impensam, in hôc opusculo errores typographicos superesse conscius sum: quod

tamen vitium (maximum equidem fateor) erratis ad calcem adjectis, quà potui, extenuare curavi; leviora quædam non animadversa lector acumine suo facillimè dignoscet.

REGIÆ SCHOLÆ ETONENSIS MAGISTRI SUPERIORES.

Andrew Snape, D. D.	Oct. 1711.
Henry Bland, D. D.	May 1720.
William George, M. A.	May 1728.
William Cooke, M. A.	May 1743.
John Sumner, D. D.	Dec. 1745.
Edward Barnard, M. A.	May 1754.
John Foster, M. A.	Dec. 1765.
Jonathan Davies, M. A.	July 1773.
George Heath, D. D.	Dec. 1791.

MUSÆ ETONENSES.

Ἅπας ἴδιον κέντρον ἔχει.

A. D. 1748.

.....

UNDIQUE purpureis redolentes floribus hortos
Ut trepidans primo vere pererrat apis;
Hæc violam jactant loca mollem, his lilia candent,
Illa sed Idaliis erubuere rosis;
Gramina diverso rident distincta colore,
Quo diversa magis gramina, pulchra magis;
Floribus et variis varii funduntur odores,
Et nimia incertam copia lassat apem:
Sic ubi formosas jactat Britannia nymphas,
Regia Acidaliâ semper amata Deâ;
Nescis majores cui mavis dicere laudes,
Quippe omnes laudem promeruere suam.
Pulchra quidem Laura est, necnon et Lydia pulchra;
Pulchrior, ast aliis pulchrior Aula modis.

Hæc, en, blanditiis, hæc majestate superbit,
Illa leves juvenes allicit, illa domat.
Cycne, tuâ jactat liquidam magis Ælia vocem,
Ora Chloe plumis candidiora tuis.
Montana ut pinus, tenuis proceraque Phyllis
Incedit miseris suspicienda procis.
Chlori, quidem parva es; sed non tua gloria parva;
Et viola in pratis roscida serpit humi.
At non Clarissæ nitido coma defluit auro,
Non pinxere genas lilia mista rosis.
Non pars ulla nitet Clarissæ, at tota coruscat;
Dum coma, dum facies displicet, ipsa placet.
Unde amor iste tepens in pectore fiat, amator
Nescit; sed fieri sentit, et emoritur.
Quisquis eris, durus nimiùm contemptor amoris,
Non omni intactum vulnere pectus erit.
Spernes fortè quidem Clarissam, at Phyllida amabis;
Nunquam, dum superest femina, dêerit amor.
Aut oculis, roseæve cades nova victima malæ,
Aut voce, aut nigrâ mox capiere comâ.
Omnibus haud eadem tribuit Venus arma; sed omnes,
Ut certo lædant vulnere, munus habent.
Hoc et juris habent, heu! tela Cupidinis; ictu
Quæque valet vario, quæque sagitta nocet.

NE CREDE COLORI.——

A. D. 1756.

.....

DECERPSI redolentis horti honores,
Rosas cum violis, odora florum
Quot fundit gremio soluta Chloris,
Nectens Septimiæ meæ coronam.
Nec sprevit; variumque Nympha sertum
Ridens imposuit suis capillis;
Sertum, quod roseæ genæ, halitusque
Dulces exuperant meæ puellæ.
Per totum teneros diem gerebat
Flores Nympha; puerque dixit omnis,
Dixerunt sociæ, decentiores
Rosas Septimiæ comis nitere,
Quàm quondam proprio solo vigentes.
At cùm vespere tabidas puella
Excussit violas rosasque, florum
Tristes reliquias videns, odore
Effæto, sine gratiâ corollam
Dejecit: color, heu! reliquit ora,
Et suffusa stetit liquore ocellum.
Index mentis erat, disertiorque

Musis ille oculus; nitensque gutta
Furtim pallidulas genas rigabat.
Nostrum dissimulans et ipse luctum,
" Quis te, deliciæ meæ, subivit
" Quis tantus dolor?" inquii. " Quid ille
" Velit lacrymulæ cadentis humor?"
" En, illuc," (gemuitque dulce ridens,)
" En, causam vide," ait, "mei doloris.
" Quàm parva abripuit dies corollæ
" Mutatæ decus! hei mihi! superbam
" Maii luxuriem, et caduciores
" Vultus una dies rapit puellæ:
" Primo mane vigent, rubentque Phæbo,
" Languent vespere, pallidique marcent.
" Multos una regens procos Elisa
" Nuper mane novo choros agebat.
" Effertur tamen (heu brevis juventa!)
" Primo vespere—Vidi, et his labellis
" Pressi frigidulæ genas puellæ.
" Heu! quale est hodie cadaver illa,
" Tale cras videar revulsa fato.
" I, Damon; meritoque scribe versu
" Justos Septimiæ tuæ dolores."

QUEM NEC LONGA DIES, PIETAS NEC MITIGAT ULLA.

A. D. 1757.

.....

SÆPE gravis cœlo pavidos miseratus agrestes
Imber, et insani vim posuere Noti;
Sæpe piis nautæ straverunt æquora votis,
Pacatoque tumens concidit ira mari.
Tempore cessit amor; nec pubes Troïa semper
Fleverunt cineres, Hector adempte, tuos.
At Stygio Vindicta simul sese extulit antro,
Strinxit et admotâ saucia corda face;
Tum furor, atque imâ rabies sub mente reposta
Durat in extremos irrequieta rogos.
Ne placido credas renovari fœdera vultu,
Aut socias jungi tum sine fraude manus.
Non prece, non blandis læsum solabere verbis,
Nec vetus oblato cedet amore furor.
Ipsa quoque accensum pietas malè ventilat ignem,
Ægrescit medicâ vulnus et ardet ope.
Ergo ubi concepit furias, hausitque maligni
Numinis ultrices Indus in ossa faces;
Saxa per, et scopulos, objectaque flumina currit,
Nec juga, nec montes, nec facit unda moram:

Fervidus ardentes nudo pede lustrat arenas,
Et loca turbato dissociata mari:
Dum fera vindictæ rabies spe ducit euntem,
Lentaque devotum flagitat ira caput.
Proruit hinc urbes Italas, mirâque per Alpes
Afer inauditum vi patefecit iter.
Audiit hunc Nemesis, quo tempore parvulus aræ
Dicitur ultrices imposuisse manus.
Scilicet hunc acri fovit sub numine Juno,
Atque animos vindex indidit ipsa suos.
Illa gravi accensas quæ diruit impete turres
Dardanidûm, profugas illa secuta rates,
Extulit Hannibalem, qui secla per ultima possit
Spicula vindictæ ferre ministra suæ.

——— LUDIT AMABILIS
INSANIA ———

A. D. 1759.

.....

NESCIO quâ præter solitum dulcedine raptus
Per juga, per scopulos, et inhospita tesqua viarum
Carpit iter vates, tumidi seu cærula ponti
Pegaseo tranet cursu, seu flebile regnum
Tartarei Plutonis et arva silentia visat.
Felix! cui licet Elysium divinaque rura
Mentis opus lustrare suæ; non flore virescens
Campus odorifero, neque leni rivulus alveô
Desunt. Ille, animo quos finxerit, ordine lucos
Permeat, et magico complectitur omnia visu.
Tu, Dea, quæ Nymphas inter dulcesque sorores
Castaliis crinem gaudes immergere lymphis,
Errabunda regis vestigia; Tu per amœnos
Elysii fines, per pontum, atque aëris oras
Ducis inexpletum studio! Tibi servit aquarum
Tellurisque sinus, neque passibus invia Divôm
Collucet domus alta tuis, arcesque beatæ.
Hic neque conqueritur Libyæ sine gramine arenas,
Nec juga, lapsuroque minantia fragmine saxa,
Dia creatricis cuicunque potentia Musæ

Serviat. Hæc volucres infuso numine sensus
Transferet ad lucos, ubi rivus et aura soporem
Invitant :—qualis formas cùm scena recentes
Induit, et, celeri variabilis arte, theatri
Transmutat faciem ; nunc Orci immane barathrum
Dissiluisse putes, subitisve virescere terram
Frugibus et silvis, aut fervere classibus æquor.
O dulces Heliconis aquæ, montisque sacrati
Indigenæ salvete chori ! vos rite secutus
Sæpius ad Thamesis ripam (qui primus alumni
Præsenti invalidos firmavit numine gressus)
Auribus arrectis sedeam, notosque juventæ
Accipiens sonitus lusu delecter inani !
Munere Musarum tali, vix tristis Etonæ
Dilectas linquam sedes, neque terrear horæ
Illius adventu, quæ me de valle receptum
Pieriâ, Sophiæ studiis gravioribus addet.

CHORUS EX EURIP. HIPPOLYTO, V. 526.—

A. D. 1756.

.....

HINC, hinc, amorum Diva potentiam
Et arma tollat sæva; cupidinem
Lasciva stillantem decoris
Luminibus ciet, et recenti
Perculsa mulcet pectora gaudio;
Non astra vibrant splendidius jubar,
Non solis ardor, non Deorum
Ipse pater jaculatur alto
Majora cœlo tela; Cupidinis
Timenda fulgent spicula lumine
Potentiori, qui beatæ
Cœlicolûm dominatur aulæ.
Frustra trecenas Græcia victimas
Imponit aris, (quà sacer irrigat
Alpheus agros) cùm triumphum
Instituit redeunte lustro;
Delubra magni lætus adoreâ
Frustra revisit victor Apollinis;
Neglectus intendit Cupido
Janitor Idalii cubilis

Arcus minaces: immiserabiles
Evertit urbes, vindicat impiger
Spretos honores, insolensque
Proferet imperium per orbem.
Unde hic tumultus? quis trepidas sonus
Perstringit aures? aspice, fertiles
Ut vastat agros, ut per altam
Herculeus furor edit urbem
Graves ruinas! impulit, impulit
Sævus Cupido; scilicet Euryto
Irata demisit furorem,
Et miseras Venus ipsa clades
Tectis maritat; sanguine sanciit
Corrupta pactæ fœdera virginis,
Fumoque mutavit domorum
Pollicitos Hymenæus ignes.
O sacra Thebes mœnia, dicite,
O sacra Dirces ostia, dicite
Divæ triumphos! illa Bacchi
Thyrsigeri Semelen parentem
Jovis trisulco fulmine diruit:
Apes ut hortos ruraque pervolant,
Mundum pererravit Cupido
Pestis atrox hominum et Deorum.

Σιγῇ μένεα πνείοντες.—

A. D. 1758.

.....

SÆPE graves animi pressere silentia motus,
Occultasque tegunt insidiosa minas.
Scilicet ambitio, tacitis occlusa latebris,
Versat inexpletos irrequieta dolos:
Et vindicta atrox, furiisque accensa libido
Non nisi secreto pectore fixa manet.
Nec turbata prius cogunt elementa procellas,
Quàm lugubre silens parturit aura minas:
Tristis inaudito dum mordet litora fluctu
Horrendum fallax contegit unda sinum.
Imbelles acuunt Teucri clamore phalangas,
At gravis Argivûm comprimit ora quies;
Dum cædis vesana fames, dum pectus anhelum
Vindicta et rabies sævior intus agunt.
Nam neque Miltiadis resonabat ab agmine clangor,
Qui fractas Asiæ fudit inultus opes:
Nec tum Thermopylæ vano strepuere tumultu,
Barbara cùm dispar contudit arma Laco.
Nota virûm virtus, simul ipsa silentia latè
Insolito stringunt hostica corda metu.

Tu quoque, si partos inter, Frederice, triumphos
Fas erit et clades commemorare tuas,
Cui neque binorum potuere immittere regum
Agmina non æquo fœdere juncta metum,
Quem nec hiems justis lassatum depulit ausis,
Fusa nec incultis aspera turba jugis;
Tu quoque sensisti, quid dira silentia possent,
Cùm muta accessit Marte tacente cohors.
At tu, perfecti quoniam post tædia belli
Debetur capiti laurus opima tuo,
Macte age, et exiguam, quæcunque est, dilue labem,
Vindicet et raptum fama novata decus.

***** PECCARE DOCENTES
HISTORIAS.

A. D. 1748.

.....

PRUDENTER lege, vel culpæ est legisse; lutoso
Si de fonte bibas, anteferenda sitis.
Prodest, aut doctrina nocet; menti illa medelam
Sæpe ægræ, et sanæ toxica ferre solet.
Imprudens lectis libris insanit Iberus,
Ridiculus miseræ sedulitatis eques.
Quantum stultitiæ, quantumque furoris adoptat;
Ingerit in cerebrum quàm mala multa suum.
Cur aliquid legisti, aut non sapientia major
Adfuit? Ah! pejus, quàm didicisse nihil.
Scilicet Arthuri ærumnas longosque dolores
Quæris, et Orlandi vulnera dura pati:
Nec satis est equiti lætis victoria pennis;
Adsit amor; Marti sit comes alma Venus.
Te solitis perhibent flammis arsisse lubenter,
Ductamque e stabulis deperiisse Deam.
Nempe, ut Pygmalion, hoc o tibi, callide, fingis
Numen, et ipse tuum diligis auctor opus.
Ast Hispana magûm sterilisque, heu! terra gigantum
Nulla petenti equiti, nulla pericla dabit.

Dira tibi Colchis patriâ nunc gratior esset,
Et Cadmi armato milite terra ferax.
Si non hostis adest, debellas fortis amicos;
Non vir quem possis vincere, vincis oves.
Sedule nequicquam, et sudoris prodige vani,
O nugas nimium fortiter ause tuas,
Non te jam expectant laurus, non præmia palmæ;
Victori post tot prælia risus adest.
Scriptor ubi insevit dementis semina morbi,
In Britonas vitii defluit atra lues.
Personat aëria immundus cœnacula vates,
Urbemque, obscœno nobilis eloquio;
Promovet, heu! vitium bene qui describit; inepti
Vix fugimus scelera, hic si fugienda canit.
O Musis pariter pariterque o moribus hostes,
Gratia quos odit, nec bene Phœbus amat,
Desinite! a nostris ne mox doctrina fugetur
Terris, et crimen sit tetigisse libros.

IN PURIFICATIONEM BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

A. D. 1715.

.....

QUO Virgo ætheriis ignibus aureum
Ulnis filiolum portat eburneis?
Quò cum pondere sacro
Tendunt virginei pedes?
Ad templum niveo filiolum sinu
Ad templum Puerum candida candidum
Mater lactea portat,
Mater lactea lacteum.
Quin virgo tenerum casta gradum preme;
Non est cur cupias templa revisere,
Totum cùm tibi cœlum
Collo molliter incubet.
Non est cur cupias Virgo puerpera
Purgari; latices, quos superas, sacras;
Sacris purior undis,
Cœli purior ignibus.
Nam nec Sol roseum purior exerit
Rorantis Thetidos de gremio caput,
Latos æquore crines
Vibrans vertice florido.

At verso sonuit cardine janua;
En, templum subiit Mater, et aureum
Ante altaria Natum
Promit de tepido sinu.
En, templum subitis ut micat ignibus!
Rident insolitis ut laquearia
Flammis, et nova lambunt
Postes fulgura lucidos!
Non ædes, Solomon, sic nituit tua;
Tot nunquam radiis illa superbiit;
Hæc per templa quot Infans
Vultu spargit ab aureo.
Virgo, cum tenero quid tibi turture?
En, Matris gremio purior incubat
Turtur; non malè in illo
Fel sit pectore conditum.
Virgo, quid tenero de grege candidum
Agnum poscis? adest mollior, en, tibi
Agnus; Turtur et Agnus
Solus sit tibi Filius.

MIRABERE SILVAS—

A. D. 1754.

.....

MONTIUM custos nemorumque, Virgo,
Quæ per umbrosos volitare lucos
Sola lætaris, tacitoque lenti in
Litore fontis.
Pone me terrâ domibus negatâ,
Pone silvestri vacuum sub antro:
Suave frondescens nemus otiosus
Hospes amabo.
Uvidos montes, nebulasque passim
Rupe pendentes videam nivosâ,
Vesperi serus comes, atque solis
Mane reversi.
Sive quid Musæ meditans avenâ
Provocem Pana et Satyros procaces:
Sive de montis speculâ polumque et
Sidera curem.
Insolens urbis, vacuâque vivam
Sede; securus, quid Iberus armis
Audeat, Gallusque rebellis, atrox
Cæsaris hostis.

Nec sub arcano latuisse lecto
Dedecet: si quid prius otiosus
Suaviter lusit tacito sub antro
Thracius Orpheus.
Prodigâ silvæ Latialis umbrâ
Serta componens capiti Maronis,
Musa decerpsit virides ab omni
Arbore ramos.
Si quibus doctum foliis Platonem
Densa texerunt nemora: O morentur
Hospitem sedes ibi me, novâque
Fronde decoræ
Protegant laurus; iterumque vatis
Itali seros simul in nepotes
Crescat argutum nemus, et Lycæi umbracula templi.

SOPHONISBA MASANISSÆ.

A. D. 1758.

.....

QUAM mihi solicitæ mittis, Masanissa, salutem,
Tristia fatalis pignora connubii,
Accipio Sophonisba lubens; namque hæc mihi præstant
Munera servatam qualiacunque fidem.
Ne pavidam me fingat amor tibi; ne mea credas
Pectora femineos solicitare metus:
Testor et ancillas, et qui tua jussa ferebat,
Pocula me firmâ continuisse manu;
Nec solitum vultu trepido fugisse colorem,
Nec lacrymam tristes dedecorâsse genas.
Nam neque de fatis, liceat crudelibus usa,
Sed mihi sit de te fas, Masanissa, queri.
Tum quererer, si stultus amor, si cura mariti
Traxisset lentam spe malesuada moram.
Scilicet ut mortis tandem sublata facultas,
Traderet infami colla premenda jugo.
Nunc poteris, Sophonisba, mori bene; te tua fata,
Et patriâ, et tanto nomine digna, manent:
Quæ neque dedecorant aut te, pater Asdrubal, aut te,
Quem nova vix potui dicere nupta virum.

Et tamen hic mortis nuptæ malè convenit horror,
Pocula nec lætus talia miscet Hymen.
Splendida mors, fateor; tamen immatura vocetur,
Quæ rapit amplexu me, Masanissa, tuo.
Scilicet æquævæ lepido clamore sodales,
Ad citharæ dulces mota chorea sonos,
Conveniunt meliùs thalamo festiva jugali,
Dum face discutiat tristia fidus Amor.
Quid precor? ut primæ trepida inter gaudia noctis
Tradar in hostiles regia serva manus?
Scilicet ipsa ducis currus regina superbos
Ponè triumphali compede vincta sequar?
Scilicet aspiciam (lætæ spectacula plebis)
Punica Romano tradita signa Jovi?
Haud ita me genitor, nec patruus Hannibal, haud sic
Acrior erudiit pectora nostra Syphax.
Te quoque, te melius patriæ, Masanissa, labanti,
Te meliùs nuptæ consuluisse tuæ
Sentio; in ima furens serpit præcordia virus,
Et cadit è trepidâ charta relapsa manu.
Tu tamen accipias animæ suprema fugacis,
Quæ tibi vix moriens dat Sophonisba, vale!

TENE EGO UT ACCIPIAR LAUTE, TORQUERIER OMNI
SOLICITUDINE DISTRICTUM.

A. D. 1756.

.....

FELICEM tepido capiat si villula tecto,
Obscuroque latens fundo domus, ac proprius Lar;
Non mihi mensa nitens persuadeat ordine vasum
Ut grandes permutem epulas, lancesque superbas
Armigerûm, dapibus quas cœna domestica præbet.
Quantus enim hospitio labor et cura obstat agresti,
Accipe—Si dicam venturum me fore certo
Promissus conviva die tibi, protenus omnem
Exornare domum curas; ne fœda canino
Stercore displiceat mihi porticus, aut malè fricti
Crateres; neu trita tegant velamina sellas;
Neu circùm intactas suspendat aranea telas.
Denique cùm misero curata ad limina ventum est,
Tot ritus, tantum pompæ hospes præstat inanis,
Regia legatos quanto vix excipit aula.
Post hæc inflatum dapibus vinoque reducit
Hospitis officiosi et longæ nausea cœnæ.
At si fortè velim tantos fugisse tumultus,
Si subitus veniam conviva, simul prope tectum
Tendimus, èque viâ jam rheda videtur ad ædes

Festinare; "quis o procul advenit hospes? et o quàm
" Adversa es Fortuna!" domûs exterrita clamat
Mater; "et hoc solo, dum stragula cuncta lavantur,
" Convivas venisse die! quin et pueri omnes
" Per campos agitant latè fœnum." Interea nos
Occlusos postes frustra pulsare; molossis
Atria longa sonant canibus: domus invia, clavi
Amissâ. Trepidi vix tandem porticibus nos
Accipiunt famuli, vacuâque reponimur aulâ.
Continuò super alta domus resonare tumultu
Non alio, ac dominâ cùm parturiente per ædes
Attonitæ miscentur anus, trepidæque puellæ.
Franguntur risci: subitas petit anxia vestes
Filia, suppositasque tegit velamine sordes.
Ipsa vocat; blaterant famulæ, puerique recursant;
Servorum immistus clamor, dominæque, suumque,
Et strepitus pullorum, atque anseris ima querela.
Nos gravior premit esuries, multumque maligni
De vitiis loquimur, de re, domibusque alienis,
Dum mulier, dum cœna paratur. Sæpius hortum
Visimus, et catulos, et equos. Vix femina tandem
Advenit excusans sese, veniamque precatur,
Nescio quid, sed vix clarè certumve locuta
De subito adventu. Dein cum toto comitatu

Quatuor in patinas divisa est unica quondam
Gallina; inviti pisces merulæque sequuntur.
Post hæc et Regi et Patriæ libamus honorem.
Solvimur inde joco: vel quid respublica poscit,
Quid leges, agitamus; et hospes liberior nunc
(Quippe mero uvidus et sincero elatus Iaccho)
Principibus rerum et maledicit utrique senatu.
Conditur interea rubicundus in Oceano Sol.
Continuò fugimus: per densam auriga secundis
Noctem fertur equis, potus quòd sit satis; hoc est,
Ut per iter temere et tumulos volvamur iniquos.
Cura Deûm, salvi per tot discrimina, per tot
Anfractus redeamus. At o si hoc hospitium sit,
Si tales externa habeant convivia curas,
Tutior et melior me cœna domestica pascat.

HORTUS UBI.

A. D. 1748.

HORTOS ut decoret, vendit patrimonia Florus,
Utque oculos possit pascere, fundit opes:
Disposito fingit varias in gramine formas,
Arboris et doctâ brachia falce putat
Pyramis accisis hîc surgit in aëra ramis,
Hîc fremit arboreo tonsilis ore leo.
Frondeus Alcides hîc sumit ab arbore vitam,
Quæ tristem heroi præbuit ante rogum.
Planta eadem crescit variâ sub imagine; Florus
Si jubet, est heros; si jubet, ales erit.
Floribus immoritur morientibus ipse; rosæque
Sæpe obitu pallet; sæpe, hyacinthe, tuo.
Nascentes pavitat ne quæ manus impia frangat,
Mordeat aut teneras fortior aura rosas.
Formidat ne vermis humo, mus exeat antro;
Proterat aut flores ne pede dirus aper.
Et decies unâ, vel sæpius, aspicit horâ,
Excubat et molles pervigil ante crocos.
Sin forsan laxos suspendat aranea casses,
Esse putat violis retia tensa suis.

Sic Florus primo nascentem mane salutat,
Sæpius et supplex sternitur ante rosam.
Ut colit Ægyptus numen, quod nascitur horto,
Floribus et fundit vota precesque suis.
Quàm vellet placare extinctâ conjuge mortem!
Quàm flori natos posthabuisse suos!
Vane, brevis floris vita est longissima; fragrans
Mane viget, marcet vespere, nocte perit.

* Νῦν δ' ἔρχεσθ' ἐπὶ δεῖπνον ἵνα ξυνάγωμεν Ἄρηα.

A. D. 1747.

.....

INCLYTUS et Musis seros memoratus in annos
Æacides, binâ laude canendus erat.
Scitè bella tulit, scitè convivia struxit,
Ille virûm terror maximus, ille boum.
Et culter laterique ensis suspensus adhæsit,
Ille ministeriis aptus, et ille, suis.
Acer in arma ruit, neque enim præstantior alter
Aut coquere, aut coctos ipse vorare cibos.
Usque ferox, parilique animi virtute petebat
Dardaniasque manus, Dardaniasque dapes.
Ecquis amicitiam Patrocli et laudat amorem?
Firmavit stabilem certa culina fidem.
Nondum etenim semesa, oculis vigilantibus astans,
Quæ posuit dominus, sustulit ossa comes.
Utilis et castris, et idoneus ille culinis,
Versabat docili tela veruque manu;
Fax erat in manibus, pariterque in utrumque paratus
Ibat, sive domos, sive cremare cibos.
Felices! aris quondam communibus usi,
Communes pariter qui coluere focos.

Quid Trojæ potuere manus, cùm in prælia Graios
Hos patriæ laudes, hos dapis egit amor?
Certatim posuere epulas, et vina ferebant,
Certatim cyathis incaluere duces.
Nec Britonas, quando arma vocant et bellica virtus,
Pœniteat patinis invigilare suis.
Quin agite, accedat stomacho fultura ruenti,
Militis ut firmus permeet ossa vigor.
Hæc adeò celebrent hostes convivia; cedet,
Angliaco cedet Gallica rana bovi.

NON SI BENE NUNC, ET OLIM SIC ERIT.

A. D. 1748.

.....

PERTINAX et luxurians juventâ,
Inter æquales, Sacharissa, turbas
Gratiis formæ roseoque vultûs
Prima nitore
Enites; et (si decorant juventam
Ingenî vires) tibi sal facetus
Temperat formæ jubar, et caducos
Frontis honores.
Mane si desit Sacharissa Circo,
Displicet Circus juveni protervo;
Sola nocturnos Sacharissa cætus,
Sola theatrum
Novit et molles decorare saltus.
Ipsa sed flammas tenues amoris
Ridet, et secura proci fidelem
Despicit ignem.
Ah! cave; non si bene nunc, et olim
Sic erit; tandem Venus et Cupido
Deserent, tandem vetulæ relinquent
Virginis ædes.

Scilicet jam dedocuere motus
Vividos anni; neque nunc ocellus
Splendidè languet, teneroque risu ac-
cendit amorem.
Junior quædam Sacharissa formæ
Arrogat laudes sibi; tu procorum
Indigens tandem veterisque famæ
Invida torpes.
Tum procus ridens, "Ubi nunc protervi,"
Inquiet, "risus tibi? non amoris
" Nescit aversi meritas Cupido
" Sumere pœnas.
" Sic eat, quæcunque genis Puella
" Lubricis fidens, Venerisque victrix
" Audeat sævo cruciare amantum
" Pectora ludo."

Ἢ καὶ τάφον οἰκίσεις.

A. D. 1754.

.....

NYMPHA Ephesi, formosa tuens, et amica pudori,
Dicitur optati fœdus inîsse tori.
Ah! lævo nupta auspicio; flamma exta reliquit,
Invitæque ignem corripuere faces.
Fata obstant: medios Libitina abrumpit amores,
Fatalemque viro subsecat atra comam.
Effertur, tumulique sinu componitur hospes;
Ferales iterat lurida turba modos.
At non exequiis rediit pia Nympha solutis,
Pectora non alter casta momordit amor.
Fida comes, custos, nec adhuc inamabilis uxor,
Extremum miseræ munus amantis agit.
Antra fovet, consors thalami, consorsque sepulcri;
Infandi tumulus testis amoris erit.
Grata oculis sedes; foliis licet atra cupressus,
Contristatque horrens taxus amara solum.
Nempe illic noctis tenebrarum oblita, cibique
Officium verè Nympha dolentis agit.
Ora super recubat non responsura dolori
Osculaque extincto libat amica viro.

Et votis duras et vocibus obstruit aures,
Colloquii luctu suppeditante vices.
Forsitan et nimio vitam exhalâsset amore,
Ut leto possit nobilitare fidem.
Murmura vicinos nî pervenientia lucos,
Senserat excubiis Miles adesse suis.
Accurrit; longéque inter secreta sepulcri,
Flebat in extinctum Nympha reflexa virum.
Miles amans vidit, periit simul: auxit amorem
Gutta per ingenuas plurima lapsa genas.
Heu! quid agat? prece quâ matronam ambire dolentem,
Ad sua quo studio flectere vota velit?
Astat amor, nymphæque alta ad præcordia repit;
Et matronales erubuere genæ.
Sensit uterque simul victus, pariterque calentes
Connubio furtim consuluere novo.
Dura uxor! potuit quæ non meminisse mariti;
Durior! ad tumulum quæ violare fidem.

NEC PLACIDA CONTENTA QUIETE EST.

A. D. 1759.

.....

UNDE vices mundo variæ? Quo Numine tellus,
Astrorumque orbes, et cærula Tethyos arva,
Assiduo fluitant motu, fugiuntque quietem?
Perpetuo sursum nisu sese arduus ignis
Erigit, et calido sol flammæ ex orbe volutat
Spicula, quæ celeri circum vertigine rapta
Extremos peragrant diffuso lumine cœlos.
Sed quis diversos lucis describere motus
Ulterius possit? seu per cœli ardua cursu
Infinita ruat, patriumque revisere solem
Gestiat, aut radiis Orci penetrare recessus.
Nec minus æternos patitur revoluta meatus
Terra, licet pigro vix tramite compleat annum
Tarda, immanis, iners, nisi quod vis insita cursum
Urgeat, ignavoque vetet torpere veterno.
Nonne vides, gelido ut terrai ex ubere sudet
Roscidus humor aquæ, ut furtivo lubricus undas
Per tenues rimas, per rara foramina glebæ,
Insinuet lapsu; donec jam gurgite facto
In mare torrentem rapido vomat impete fluctum.

At simul in gremium ruerit cumulatus aquæ mons,
Nulla datur requies ; aut vortice volvitur imo
Oceani, aut, calidâ sublatus lampade solis,
In nebulas pluviæque gravem densatus in imbrem
Temperat arentes fecundo flumine campos.
Quinetiam excerptæ solido de viscere terræ
Particulæ, queîs sensus abest, queîs impetus omnis,
Æternos subeunt motus, et munia servant.
Inde rudi terræ dudum obruta semina sulco
Pubescunt rediviva iterum, maturaque reddunt
Præmia ; ut exiguo sensim de semine quercus
Exerit alta caput viridique superbit amictu :
Seu recreet sol, aut truncum genialis aquæ vis
Permeet, et vegetis submittat pabula ramis.
Usque adeò quæcunque sinu natura creavit,
Perpetuas subiere vices ; non machina mundi
Sede manet certâ, aut segni contenta quiete est.
Non secus ipsa patí grave dedignata veternum
Mens humana novos fines, nova gaudia, quærit.
Nunc ruere in turmas dirumque accendere martem
Ardet, et hostiles furibunda resuscitat iras:
Nunc tabe invidiæ pallet, dum lurida fronte
Cura sedens, vario contristat corda tumultu.
Quinetiam et suaves patitur mens incita motus,

Mansuetasque vices; nunc blando languet amore;
Nunc corda alterius tristes miserescere casus,
Et grato resoluta juvat mollescere fletu:
Nunc Sophiæ fontes, veri studiosa, reclusos
Quærere; nunc variis super impallescere chartis,
Naturamque Deumque sequi, gyrosque planetarum
Ingentes, solisque vias, lunæque labores
Ardet et arcanas fatorum evolvere leges.
Mox ubi terrestris moles corpusque solutum
Cognatas ruit in sordes, non illa sepulcro,
Non gelidi vanis leti compressa catenis
Torpet, at audaci sublata per ardua pennâ
Cœlicolûm sedes nativaque regna revisit.

CATUS, QUANTUMVIS RUSTICUS.

.....

RUSTICUS ut quondam per compita, rure relicto,
Londini incertum fertque refertque pedem;
Progreditur tandem, quà templum assurgit in auras
Dunstani: subitò ter quater æra sonant.
Obstupuit tacitè molemque ictusque Gigantum,
Miratus quis eos spiritus intus agat.
Hoc sibi miràclum subtili mente revolvens
Ingenti cecidit pondere lapsus humi.
Fortè illum talos a vertice bellus ad imos
Aspicit, et risu quassat utrumque latus.
" Heus!" ait, " anne soli nescis fastidia nostri?
" Ferre negat tantæ rusticitatis onus.
" Non tua nunc te terra tenet, non gleba lutumque;
" Dirigit haud gressus vomer, ut ante, tuos.
" Cautiùs incedas posthac; meminisse juvabit
" Te lapidum fastus: surge age, tende viam."
Ille oculos catus attollens, dum dextera mulcet
Saxorum læsas asperitate nates,
" Saxa superba vocas? hem! quantum falleris," inquit,
" Nequaquam hos lapides fastus, amice, decet.
" Nempe dedere meis jam clunibus oscula saxa,
" Nec tibi post lapides iste negatur honos."

*Ἑλένης Ἐπιθαλάμιος. *Ex Theocr. Idyll.* 18.

A. D. 1755.

.....

SICCINE desidiosa prius dare membra quieti,
Quàm nox alternas excipit atra vices?
Somno, Sponse, vacas? num mens superata Lyæo
Intempestivum suadet inire torum?
At sine festivis sponsam indulgere choreis,
Dum lux instantem duxerit orta diem.
Namque Aurora tuos semper testabitur ignes,
Et nox adjunctos viset amore pari.
O felix conjux, socer est tibi Jupiter; ambit
Te Jovis amplexu filia pulchra suo.
O felix conjux, tibi vultu arrisit amico
Faustus, et æterni fœderis auctor, Hymen.
Nos ætate pares cursus iteramus eosdem,
Quà lene Eurotas limpidus urget iter.
Exuperat cunctas Helene pulcherrima; Phœbe,
Ut cedunt radiis astra minora tuis.
Explicat ut roseos surgens Aurora colores,
Cùm fugit invisas nox veneranda faces.
Ut tollit sublime caput cyparissus in horto,
Currusve auratos Thessalus ornat equus;

Sic Helene; sic docta leves deducere fusos;
Quàm decuit graciles pendula tela manus!
Quali tractavit citharam dulcedine eburnam,
Et querulæ increpuit consona fila lyræ!
O Helene, quodcunque facis, quocunque vagaris,
Te lætæ Charites, te comitatur Amor.
Cura maritalis vacuas nunc occupat horas;
Quàm placida anxietas, quàm levis iste labor!
Nos non fortunæ immemores sortisque prioris
Tendamus solitam, turba inhonora, viam.
Quicquid habent gratum viridantia prata, vel horti,
Carpemus, nitidis florea serta comis.
Prima ferens platanus suspensam excelsa corollam
Festivum ostentat, munera verna, decus;
Terraque non proprios tibi jam suspirat honores,
Lætaque fragranti rore madescit humus.
Arbor, vive, precor, quæ tanti conscia cultûs
Hoc in rugoso cortice nomen habes.
Quisquis es, huc tendens frondes venerare, Viator,
Umbrosas: Helenes nomina sacra fero.
Salve uxor, socero Jove, felicissima! salve
Vir dignus sponsâ, sponsaque digna viro!
Det sobolem magno dignam Latona Tonante;
Mitis inextinctas det Cytherea faces.

Ab Jove divitiæ: multos det Jupiter annos,
Jupiter ingentes præbeat almus opes.
Devictis somnus furtim subrepat ocellis,
Aurorâ et fugiat discutiente quies.
Cùm jam pennatâ cervice superbiat ales,
Et virides primâ luce salutet agros,
Mane revertemur; tædis illustribus ambo
Tutetur, serto tempora vinctus, Hymen

NON EA VIS ANIMI, NEQUE TANTA SUPERBIA VICTIS.

A. D. 1756.

....

SQUALIDUS, exul, inops, casuque gravatus acerbo
Constitit Aufidii Marcius ante lares;
Constitit, et siluit: stupefactus imagine Volscus
Hæc dubio tandem pectore verba dedit.
" Fallor? an hostiles stat Marcius ante penates,
" Gentis adest nostræ pœna, decusque suæ?
" Nec periit jam frontis honos, impressaque vultu
" Majestatis adhuc forma verenda manet.
" Quantis persequitur caput execrabile Diris,
" Orba viro conjux, orbaque prole parens!
" Quis te per tenebras et opaca silentia noctis
" Impulit hostilem casus adire domum?
" Dic, precor, unde tibi tanti monumenta doloris;
" Forsitan et laudes hæc meruere suas.
" Nam neque talis eras, cùm victor ab hoste redires,
" Nec bene laurigero convenit atra chlamys."
Dixerat: insanas animi testantia curas
Retulit ad Volscum Marcius ora ducem.
" Ah! ne me veteres cogas meminisse triumphos;
" Quàm vellem potius non meminisse mei!

" Ille ego Volscorum terror, quem vidit euntem
" Ad Capitolinum læta caterva Jovem.
" Ille ego, quem belli decuere insignia, Marti
" Quemque suo voluit perfida Roma parem,
" Exul agor patriâ; neque jam mihi lætus ovanti
" Miles, *Io*, magnâ voce, *Triumphe*, canit.
" Seq vagor ignotos nullo comitante per agros,
" Quòque trahit gressus sors inimica, sequor.
" Pone metum; non arma fero, non fallere tento,
" Non tegit hic habitus, non chlamys atra dolos.
" Non ea vis animo: Aufidium jam Marcius orat,
" Victorumque rogat Victor inermis opem."

- - - Κρόνιοι δ' ὧδε λέγουτι νόμοι,
Ὅς κέ τιν' ἀθανάτων, ὅκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἕληται,
Ἀθρήσῃ, μισθῷ τῦτον ἰδεῖν μεγάλῳ.

Ex Callimacho. A. D. 1758.

.....

SISTE pedem, mediæ quisquis penetralia silvæ,
Et loca cœlicolûm visis amata choro;
Siste pedem, ne fortè Deum, ne fortè sub umbrâ
Terrigenæ videas sacra negata gregi.
Scilicet in Superos etiam fortuna luetur;
Qui semel inviti viderit ora Dei,
Extremum videt ille; Jovis sic summa voluntas,
Nec veniam læso numine casus habet.
Nam neque visa leves poscit Latonia pœnas,
Cùm domini lacerant membra novata canes.
Nam neque Tiresias, posito velamine Divam
Innantem mediis vidit inultus aquis;
Ah! puer infelix, nec te tua prima juventus,
Nec juvat iratæ mater amica Deæ.
Illa puellares inter gratissima cætus,
Thespiadum populos visit et arva comes;
Et simul ætherias curru subvecta per auras
Lustravit sociæ regna sacrata Deæ.

Non comitum placuere chori, nisi prima Chariclo
Et canat, et festo præsit amata choro.
At neque Tiresiam fatali, Pallade visâ,
Texit ab exitio Palladis ipsa comes.
Scilicet ut gressu sitiens properabat anhelo
Fortè puer, mediam sole tenente viam;
Solus, ad arcanos latices, Heliconis in undâ
Conspicit invitæ corpora nuda Deæ.
Ut videt, ut visam refugit. "Quis te Deus," illa,
"Quis tulit ad vetitas devius error aquas,
"Damnatum æternæ nocti? tibi lumina crimen
"Rapta luent, læsæ digna piacla Deæ."
Vix ea, cùm tenebris oculi conduntur obortis;
Stat, stupet, et tacitus comprimit ora dolor.
At rabie succensa parens: "Quas concipis iras?
"Quid facis? In comites hoccine Diva tuas?
"Hoccine amicitiæ pignus? miserere parentis,
"Flectat et aversam fida ministra Deam;
"Flectat matris amor: Fili, tu nuda Minervæ
"Magno vidisti pectora, non iterum
"Visurus cœleste jubar: Vos dira valete
"Culmina, vos tanti conscia saxa mali,
"Non iterum lustranda mihi." Sic fata, dolebat
(Progeniem amissam ceu Philomela gemit)

Mæsta parens; sed enim Pallas miserata dolorem
Mitia placato pectore verba dedit.
" Pone animos; ne cæcus amor, ne vana maligni
" Arguat innocuam criminis ira Deam.
" Hoc egit non sponte furor, sed fixa Deorum
" Jura, sed immoti lex stabilita Jovis."

* Ἔργ' εἰδυῖαν.

A. D. 1756.

.....

QUÆRIS, quæ tibi sponsa, Septimille,
Jungatur face digna nuptiali?
Mensæ participem torique nullam
Commendo priùs optimâ Melissâ:
Illis nempe oculis sedet renidens,
Illic excubias agit Cupido;
Illo purpureo ore suavitatem
Libabis teneræ osculationis.
Incedit Dea; Gratiæ decentem
Quintâ parte sui imbuere mellis.
At quamvis Veneri propinquiorem
Puellam facies decensque forma
Testentur, tamen hanc sagacioris
Cognosces tibi filiam Minervæ.
Non illa ad speculum videtur arte
Distorquens miserâ diem per omnem
Comas dirigere huc et huc nitentes:
Non acum malè curiosiori
Refigens studio, laboriosa
Mutatam induit exuitque vestem.

Quòd si fortè hilares levi choreas
Instauret pede, dum lyræ sonores
Movent delicias libidinesque ;
Non illa aut oculo licentiore,
Aut nutu capitis manuque pressâ,
Gaudet depereuntium virorum
Vultus solicitare, nec furentes
Lascivè studet excitare flammas ;
At motus facilis decentiores
Componit pudor et modesta virtus.
Non versâ vice noctis et diei
Incumbet vigil aleis, opesque
Tuas dilapidabit eleganter ;
Aut solis rutilo fugata curru
Tollet pallidulos gravesque vultus,
Ut fictis caput obtegat tenebris :
At illam pietas fidesque certa,
Illam purpureo salus rubore,
Illam simplicitas quiesque prudens,
Melissam comites tuentur almæ.
Illam deliciasque gaudiumque,
Beatissime Septimi, volentem
Mensæ participem toroque jungas.

HIS SALTEM ACCUMULEM DONIS.

In obitum J. Wolfe. A. D. 1759.

.....

AST iterum, o dolor, ast iterum mihi parcite Nymphæ;
Vos hederæ, laurûsque rudi nascentia falce
Germina, et invitus crudos decerpere fructus
Aggredior; nova cura premit, nova causa doloris
Cogit inassuetos numeris intendere luctus.
Nam non infletum corpus putrescet arenâ
Illius, insigni quem non superesse triumpho
Fata sinunt, qui victor obît; sed rite profusis
Ornabit lacrymis, sed grata Britannia justos
Fletusque gemitusque dabit, solatia luctûs
Exigua ingentis, tanto sed debita civi.
Quid tibi Gallorum diro quatere oppida bello,
Duratas peragrare nives, per litora vasto
Dissociata mari, per inhospita profuit arva
Rumpere iter, scalisque hostiles scandere muros?
Pectoris ah! satius fuerat mulcere furores,
Lenibus aut otî studiis, cyathisque morantes
Fallere purpureis horas, gelidove sub antro
Ambrosiis Lydes intexere serta capillis.

Laudis amor patriæque vetat: quem nuper in oras
Barbaricas Britonum victricia signa ferentem
Vidimus, heu! mediis conatibus immaturus
Occidis, o patriæ decus et dolor! Aspera belli
Vitet iners, longos numerans inglorius annos;
Ambitio generosa viris torpere veterno
Corda vetat; stimulis acuens haud mollibus iras,
Virtutis clivos tremulis ascendere plantis
Difficiles cogit, famamque extendere factis.
Res Britonum quicunque Deus, quicunque tueris
Famamque egregiosque duces, quo vindice fulmen
Audiit armorum extremis sub finibus orbis;
Quæ tantæ tenuere moræ? cùm pectore fidens
Impavido medios rueret moriturus in hostes
Volfius, et pulchram peteret per vulnera famam.
Tuque parentalis nimium, Victoria, curæ
Immemor, incolumem matri cur sæva negares
Reddere, cur justos victoris cæde triumphos
Pollueres, nimio castigans gaudia luctu?
Ast o si claustris famam eripuisse sepulcri
Musa potes, liquidos, (luctûs medicamina,) cantus
Præcipe; nunc artesque ducis, variosque labores,
Impavidumque animum, nunc blando in pectore
sensus,

Ingenuamque fidem, patriæque et laudis amorem,
Digna canas; tanto fors desponsata marito
Aure melos bibit attentâ; fors anxia mater
Leniat infandas citharæ modulamine curas:
Quæ lætæ interea fugiens commercia vitæ
Perpetuos iterat questus, abreptaque plorat
Gaudia; nunc precibus mitescere nescia Fata
Incusat, surdosque Deos; nunc corde resurgens
Intus agit maternus amor, dum multa recursat
Virtusque pietasque animo: "Sic ora ferebat;
" Sic vultus, sic gestus erat: sic oscula flenti
" Obtulit, et fidis jam decessurus in ulnis
" Hærebat; rursusque vale rursusque supremum
" Dixit, ubi mistis, casûs præsaga, querelis
" Multa dabam genetrix juveni servanda; sed auræ
" Omnia discerpunt, et nubibus irrita donant."
Flebilis illa eadem vigilanti occurrit imago
Usque, nec infandas per densa silentia curas
Corde fugat somnus, nec fessa cubilia visit.
At tu, si sero quicquam celebrarier ævo
Proderit, indigno jam tandem te excute luctu,
Excute; plaude tibi, quòd honestâ prole bearis,
Facta parens patriæ; quòd cesserit arce Bretonis
Prole tuâ pulsus Lodoix, victæque Quebecæ

Anglica captivis fluitant insignia muris.
Fortunata parens! dum tu solennia pompæ
Vana sepulcralis vacuosque exsolvis honores;
Ille ducum ingentes animas, et fulmina belli
Æmulus Henricos jungit clypeoque nigranti
Insignem Edvardum; cuncti mirantur euntem
Heroes, lætique piorum in sede reponunt.

* RERUM IGNOTARUM MAGIS EST TIMOR.

A. D. 1756.

CALLIDUS obductam curvato vimine chartam
In speciem milvi finxerat arte puer;
Addidit et caudam, paribusque per æthera pennis
Justa dedit celeri pondera ferre noto.
Quoque magis captent oculos spectacula, caudæ
Pensilis extremâ parte lucerna micat.
Ipse petens campos, fictæ per inane volucris
Aërium tenui fune gubernat iter.
Protenus hinc pavidam pueri trepidare per urbem,
Quærere, quid terris hæc nova monstra ferant.
Mira diu tenui scrutatus lumina vitro
Augur inassuetos concipit ipse metus.
Quid timeat, nescit; tamen horrida quæque timenti
Pestiferum certè constat adesse jubar:
Vel rutilum ferri jurat sine lege cometam,
Sidera vel notis cedere mota locis.
Sic et Hyperboreo loca per subjecta Trioni
Corda humilis stravit gentibus ægra pavor.
Cum videre novos flammarum albescere tractus,
Et nitidum insolitâ luce rubere polum.

Nubibus hinc strictis acies concurrere telis,
  Et rutilas visæ conseruisse manus.
Hinc sonitum armorum toto Britannia cælo
  Audiit, ingenti collabefacta metu.
Ast ubi mox certo toties de more redibat
  Lux eadem nullis consociata malis;
Paulatim assuetâ decedere mente timores,
  Monstraque per longas ipsa placere moras.
Cernat ut Auroræ Borealis lumina, virgo
  Nunc vespertinum læta moratur iter:
Hanc variâ cæli rutilantis imagine captam
  Vix etiam serâ nocte reducit amans.

Ἀλλ' οὐκ Ἀτρείδην Ἀγαμέμνονα ποιμένα λαῶν
Ὕπνος ἔχε γλυκερός ——

A. D. 1754.

.....

O SOMNE dulcis, ingruentis efficax
Lenimen ægritudinis,
Cur sic in infimo lates tugurî specu,
Fovens inornatum caput?
Diadema purpuræque fastidis decus,
Et principum cubilia:
Te prima semper ante noctis tempora
Tenent, nec invitum hospitem,
Congesta cœno tecta, fumosi Lares:
Nec te reducit transfugam
Instratus ostro lectus, aut conopeum
Luxu renidens aureo;
Utcunque fidicen allaboret carmina.
At, at, quid hoc tantum scelus
Diadema fecit, quidve regium caput?
Ut inquieta principum
Invitus usque temperes præcordia,
Somni colono prodigus.
O Somne, quàm crudelis es potentibus.
Idemque tu facillimus

Fessum vocatus eximis laboribus,
Aut non vocatus, pauperem.
Nam sive malo nauta pendens hæreat,
Aut involutus carbaso,
Prensove fune turbidum per aëra
Se libret impulsus noto,
Spectetque desuper inquietos Hadriæ
Fluctus, vel Ægæi minas;
Favente te, securus in periculo
Dormiet, ut in molli toro.
Quæ causa? nempe immunis ad præcordia
Quieta somnus assidet;
Dum nulla prosunt vota, nec preces, dolor
Si pectus occupaverit.

IARICON INCULO.

A. D. 1756.

.....

NON prece tentavi rigidas mulcere procellas,
Nec sum cæruleum devenerata mare;
At venti pelagusque favent: tu sævior illis
Assiduas surdâ respuis aure preces.
Te modò servavit, sponsam tamen, improbe, vendis:
Hæccine pro meritis præmia reddit amor?
Pro te deceptos liqui, scelerate, parentes;
Deserui patrium te comitata nemus:
Navales mirata domos turresque natantes,
Commisi pelago me fragilique rati;
Nec fluctus timui, nec, te præsente, procellas;
Corde meo cessit pulsus amore timor.
Ah misera Iaricon! quid amor, quid inania vota,
Quid tibi conjugii nomen inane tui
Profuit? aut forma, aut adeò laudata venustas?
Si profugum nequeant detinuisse virum.
At tu (nam memini) laudâsti, perfide, vultum;
Laudâsti dominæ colla manusque tuæ:
Quò puer ille fugit, quem dixti, et pectoris æstus?
Me miseram! vereor, fictus uterque fuit.

At me si fugias, ah! respice pignus amoris:
Respice quod gravidam dulce moratur onus.
Et mihi quam debes, nato concede salutem;
Eripe servitio me puerumque tuum.
Ah! redeas, redeas, profugam verte, Incule, puppim:
Usque tui in nostro pectore regnat amor.
Ah! redeas, fidamque redux occide puellam;
Ipsa tuâ veniet mors mihi grata manu.

SYPHAX SOPHONISBÆ.

A. D. 1765.

.....

SI tibi felicis vacat inter festa diei,
Perlege captivâ scripta notata manu.
Hoc mihi concedas, quamvis communia rumpam
Gaudia, fert parvas litera nostra moras.
Nam neque fallacis recolam perjuria linguæ,
Quæ, tua si jurem verba fuisse, neges.
At mihi sunt testes, tua quos tam sæpe solebat
Impia juratos fallere lingua Deos.
Hei mihi! cur unquam Carthaginis arce profectæ
Intrandas habuit regia nostra fores?
Lux ea prima mali, quâ nil valitura sinistro
Omine conjugii fœdera sanxit Hymen.
Inde feror gremio Furiam fovisse, meoque
Letiferas capiti supposuisse faces.
Ausus eram, hâc solâ quoniam tibi lege placerem,
Hospitii læsâ rumpere jura fide.
Scilicet hinc regno pulsum vinclisque gementem
(Hæc meruere doli præmia) carcer habet.
At tua procedit solito fortuna tenore,
Tu fera suasisti crimina, plector ego.

Dum mihi luctantes constringunt vincula palmas,
In thalamos ibit victor (eatque) tuos.
Ista (simul clamore aliquis, digitoque notabit
Indice) captivi sponsa Syphacis erat.
Quis tibi tum sensus? quòd si pudor ora subibit,
Opprobrio fies pulchrior ipsa tuo.
Inquinat amplexu juvenis, raptamque lacertis,
Quam mihi castus Hymen junxit, adulter habet.
Sed nec adulterio tutus lætabitur hostis
Legitimam nupto solicitàsse fidem.
Di, precor hoc! misero qualis fuit ante Syphaci,
Talis habenda novo sit Sophonisba viro.

EX PINDARI OLYMP. 14.

A. D. 1757.

.....

O GRATIÆ, quæ munere triplici
Tenetis almæ semper amabilem
Fontemque Cephesi, et beatos
Divitis Orchomeni recessus.
Audite vatem: vos sapientiæ
Arcana nobis sacra recluditis,
Et aureos mores piorum
Tollitis ætherias ad arces.
Quin vos choreas ducere callidas,
Jocosa et inter pocula Liberi
Miscere festivum leporem
Usque vocant Superi, sodales
Conviviorum. Vos juvat, auream
Sedem tenentes propter Apollinem,
Laudesque et insigni Tonantis
Grande decus celebrare plectro.
O nunc sorores, Aglaïe potens
Lyræ, et canoros quæ citharæ regis
Thalia cantus, et beata
Euphrosyne Jovis alma proles,

Favete cœptis! Carmine Lydio
Heroa vates laudat Asopichum,
Qui patriam æternavit urbem
Clarus Olympiaco triumpho,
Ducente vestro numine. Nunc adi
Plutonis, Echo, nuncia regiam,
Natique famam vel sub imo
Aure bibat Cleodemus Orco.
Dic filium in certamine nobilem
Vidisse Pisæ te prope flumina
Victorem, et alatæ capillos
Munere conspicuum coronæ.

PRO MORE ET MONTE.

A. D. 1758.

....

JAM satis instructas solito pro more cohortes
Turbidus hibernis terruit imber aquis;
Jam satis Æolios Musæ cecinere furores,
Crebraque nubifero vota tulere Jovi.
More novo veterem si curia labier annum
Jussit, et errantes rectiùs ire dies;
Ut mihi more novo Montis celebrare triumphum
Fas sit, et optato figere signa jugo,
Te supplex, te rite precor; quo præside nostra
Lætior æstivo tempore pompa nitet;
Quo nec sævit hiems, nec feti febribus Austri,
Nec proli genetrix officiosa timet.
Nec pudet imbriferos hiemali sidere nimbos
Etonæ tenerum detinuisse ducem.
Cùm neque securum movit Fredericus in hostem
Per steriles brumæ segnia bella moras;
Quem, simul horrenti mitescunt frigora campo,
Indomitum vindex urget in arma furor.
Quid vetat et nosmet belli simulacra cientes
Ad martem teneras instituisse manus?

Ludicra quæ tulerit, cùm patria poscat, Etona,
Mox ferat in Gallos aspera tela duces.
Phœbe, novis placidum promas cultoribus orbem,
Sic lux mutatum comprobet alma diem.
Eure fave, non me Crassi furiosa libido
Impulit innocuis bella movere jugis:
Non Apin mea tela petunt; ne cœlitus oro,
Funditus immeritum mergat arena ducem.
I, sterne Austriacum collecto turbine Martem,
Et premat ingratum justior ira gregem.
Mî satis una dies, quanquam brevis; agmen opimus
Ducere de capto Monte triumphus erit.

Ὡς εὐπρόσωποι φανῶνται, καὶ ὅτι πλείσους ἐπάξονται.

A. D. 1758.

.....

QUEIS vafer insidiis et quantis fraudibus usus
Venditor, emptorem rostris sublimis ab altis
Decipiat; quali vibratus malleus arte,
Musa refer, populum dubio libramine pendens
Detineat, pretiumque supremo sanciat ictu.
Nam simul ac fallax posuit justo ordine merces
Venditor, et cultas jussit splendere tabernas;
Tum nec ad effractam statuam tritamve tabellam
Accedas sine fraude licet; seu visa retortos
Urna oculos trahat, aut insidiosa moretur.
Quid memorem annellos? quid ficta numismata dicam,
Quæ scabie et viridi tinxit rubigine mucor?
Singula panduntur populo: tum venditor instat,
Nominaque artificum memorat, studiumque volentum
Laudibus exacuit, quis tanto munere felix
Emptor eat, magnoque incedat dives honore.
Tu quoque, Nympha, cave; seu mensam ornare superbam,
Seu juvet Eois decorare cubilia vasis.

Tum variæ illudunt fraudes; sæpe improba ruptam
Juncturam cratera dabit, quà rima latentes
Insidias duxit; tum fissilis urna dehiscit
Beliadum referens pœnas et fata suorum,
Et frustrà alterius calices mirabere plenos.

Nec te, docte, juvant Musæ, nec Phœbus ementi
Ultor adest; neque enim dubitat tibi nectere fraudes
Venditor, ingenioque dolum opposuisse sagaci.
Sive novo attritos jubeat splendescere cultu,
Sive libros unà videas connectere, quorum
Alter inornatus lateat, præstantior alter
Materiâ, et lauto exuperet conspectus amictu;
Ut pretium hic addat comiti partemque nitoris,
Immeritumque suo commendet tegmine fratrem.

Ne verbis ultro facilem malè credulus aurem
Subjice, nec pronam jam tum meditarier ictus
Crede manum, extremum siquando callida signum
Visa dare immineat; celeri procul illa recursu
Erigitur lapsum retrahens, causasque morandi
Innectit jam jamque cadens, dum præmia latè
Ingeminet dextrâ ruiturâ exterritus emptor.

VIRGA AUREA.

A. D. 1765.

.....

APTA neci, vitæque potens, somnique ministra
Dicitur aligeri virga fuisse Dei:
Nec malè (majestas ne desit regia) versu
Sceptrigerum pinxit quisque poeta Jovem.
Terrigenas sceptro victor fudisse Gigantas
Fertur, et in Siculis intumulâsse jugis.
A Jove nutriti gestant Jovis arma; tyrannis
Imponunt facilem regia sceptra notam.
Ænean miræ fretum tutamine virgæ
Duxit ad Elysias casta Sibylla domos:
Visâ fronde Charon cymbam venientibus offert,
Et fera tergemini concidit ira canis.
Ferre pedum gestit pastor, quo claudit ovile,
Gramineoque vagas monte coercet oves.
Fulcit utrumque latus, teretique innixa bacillo
Invalidum firmât tarda senecta gradus.
Utiliter baculum mutilatos sustinet artus,
Ne careat facili debilis Irus ope.
Fida comes sacris adhibetur virga, silentes
Versat ubi magico cespite saga dolos.

Nec minor est hodie venerandæ gratia virgæ,
Illa decet doctam, pondus et arma, manum.
Suggerit illa rudi numeros et dulcia vati
Carmina, vimineâ musa juvatur ope.
Nuda licet, foliis orbata, nec ardua jactet
Brachia, nec multam dives inauret humum;
Sed tamen hanc Pallas, Musæque tuentur: Apollo
Creditur huic lauros posthabuisse suas.
Betula, dulce decus nemoris, reginaque silvæ
Usque feras domino vimina digna tuo.

EX ISAIÆ, CAP. 14.

A. D. 1756.

.....

IO triumphos instituas novos
Judæa tellus! occidit, occidit
Superba moles; en, ruentes
Intremuit labefacta muros.
At servitutis vincula sentiunt
Excussa gentes; ridet amabili
Quiete tellus, et per orbem
Lætitiæ ferit astra clamor.
Quin ipse tutus vertice Lebanon
Nutat comanti, dum Babylonias
Despectat exultans ruinas;
Sub pedibus tremit inferorum
Commota sedes, et vaga faucibus
Imis dehiscens (dum, Babylon, tuo
Gratatur adventum tyranno)
Spectra ciet; soliisque regum
Consurgit unà vulnera denotans
Augustus ordo: dum fugit, et minas
Horrescit execrandus ille
Per medios levis umbra Manes.

Audite! raucæ concava personant
Sepulcra voces. " Siccine pulveri
" Desertus exæquatur ille,
" Quem domitæ tremuere gentes?
" Quò pompa fugit? Quò strepitantium
" Clangor tubarum? Cur neque tibiæ
" Dulces, neque adventum superbi
" Tympana præcinuere regis?"
Videtis? ingens præcipiti ruit
Ab arce cœli Lucifer impetu;
Jacetque prostratus, ferebat
Qui tumidam super astra mentem,
Dixitque secum; " Non ego subditâ
" Tellure claudar; quin solio Dei
" Sublime considam, Deusque
" Suppositas, prece cultus, ipse
" Res ordinabo." Te tamen impiè
Ferocientem præcipiti Deus
Mersit ruinâ, te cadentem
Tartareæ rapuere fauces.
Lapsum viator præteriens videt,
Caputque quassans; " Ergone sic jacet
" Regnator orbis? qui per hostes
" Explicuit fera victor arma:

" Hic qui tremendum nomen in ultimas
" Extendit oras, qui domitas solo
" Æquavit urbes, et subactum
" Ingeminans sine fine clades
" Vastabat orbem, parcere nescius,
" (Quicunque rerum terminus obstitit
" Latè furenti), qui revincta
" Barbarico pede colla regum
" Premebat." Illi nunc patriis jacent
Læti sepulcris, et procul impio
Clamore victorumque turmis
Quisque suâ requiescit urnâ.
At te silenti se gremio negat
Celare tellus; quin lacerum jaces
Cadaver, infletus, tuisque
Vel canibus rapienda præda.
Odere gentes te, quia ferreus
Superbiebas; te, quia supplices
Audire, et inflecti precantûm
Luctisono gemitu negabas.
At o soluti claustra per horrida
Gaudete reges; surgite liberi;
Stringantur enses; impiæque
Reliquias abolete gentis.

Adeste ; patris supplicium luat
Mactata proles; ne domitus semel
Resurgat hostis, neu recisæ
Cum populis renoventur urbes.
" Quin ipse surgam; sub pedibus gemet
" Hostile regnum ; te, Babylon, tuos
" E stirpe contundens nepotes
" Cum senibus juvenumque turbâ
" Insanientes funditus eruam.
" Quà vasta moles nunc caput impium
" Sub astra tollit, mox jacebunt
" Lapsa solo monumenta dextræ
" Potentioris ; tum viridi palus
" Stagnabit undâ, tarda, inamabilis
" Diræque lustrabunt volucres
" Horrisono loca sola cantu."
(Ille unus urbes qui regit arbiter
Sic fata dixit:) " Qui populos ferox
" Fregit gementes, sæviitque
" Per trepidum populator orbem,
" Hunc ipse dirum montibus in meis
" Sternam draconem ; tum simul aureâ
" In pace gaudebunt, jugoque
" Excutient sua colla gentes."

Τῶν μνῆσαι φίλε τέκνον.

A. D. 1757.

.....

QUID si letiferis fatalia pocula succis
Misceat in generi sæva noverca necem?
Quid si crudeli renuens parere novercæ
Negligat iratæ jussa severa gener?
Non ita quæ veros Lucinæ experta labores
Exiguam prolem sedula mater alit.
Non ita maturos quem fida eduxit ad annos,
Quem proprio mater fovit amica sinu.
Quippe animis pariter natura resuscitat ignem,
Et consanguineus pectora tangit amor.
Solicita ambitio, vindictæ insana cupido,
Iraque præcipitem cogit in arma ducem.
Quæ mora? maternis etiamnum amplexibus hæret,
Nec sinit a trepido mater abire sinu.
Tela cadunt manibus, tumido velut æquore fluctus
Subsidunt, cùm jam ventus et aura silet.
Composito cæci mulcentur corde furores,
Conscius et tumido pectore surgit amor.
Quid si naturæ legem violavit Orestes,
Ausus maternam præcipitare necem?

Quid si non Hecubæ fletus, non crebra ruentem
Per medias clades Hectora vota movent?
At Marcî validum novit mitescere pectus,
Cùm tulit in patrios arma nefanda Lares.
En, nati cadit ante pedes, gemitusque precesque
Ingeminat flexo poplite mœsta parens.
Ah! quoties bello redeuntem prima petivit,
Primaque victori basia mille dedit.
En lacrymæ nudique sinus! En, anxia latè
Pandit in amplexus brachia blanda tuos.
Aspicit; et tactus pietatis imagine bellum,
Quod movit vindex ira, refugit amor.

SUBLATUM EX OCULIS QUÆRIMUS.

A. D. 1748.

.....

EN matutinâ nictantia sidera nocte!
Occiduusque subit, sole oriente, dies.
Æstivus tenebris properat se condere, gyro
Solstitia et Titan interiore trahit.
Dum soror, excubiis malè successura diurnis,
Phœbeam evincit fortiùs ausa facem.
Siccine fraternos umbrosa intercipis ignes,
Et lucem, unde tuam suscipis, ipsa premis?
Si qua fides, pleno cùm creveris orbe, dolebis
Triste rubens, similes tu quoque passa vices.
Proximus, en, longo jam proximus intervallo
Luciferum eccipiens Hesperus ipse venit.
Ite domum attonitæ, venit Hesperus, ite volucres,
Et Martem jubeas solvere, Galle, metus.
At quo Niliacus motu trepidabit aruspex,
Memnone non vanos bis referente sonos?
Ah! quis, Persa, tibi cernenti talia sensus,
Cùm tuus æternâ cessit ab arce Deus?
Quæsivit lucem cœlo, ingemuitque negatâ,
Adversum obtestans pallida turba Jovem.

Nullus erat; rursusque oculos rursusque tetendit,
Perque polum movit lumina, nullus erat.
Cultus adest, numen simul atque evanuit; aras
Sol magis accendit, dum suus ignis abest:
Et fugit in tenebras, ut se cupit ipse videri,
Scilicet utque acuat lumina, nocte tegit.
Sic tela illustrat, dum deterit, ignea Phœbus;
Deposito Phœbo sanctior usque latet.
Quæ mora tardabat quæ causa ignota serenos
Fœdavit vultus, Sol, dubiumque diem?
Num, manet Alcides dum terris alter, amicæ
Dis visum est nocti conseruisse diem?
Hercule non opus est; pacavit Georgius orbem;
Eia age, subductum, Phosphore, redde jubar.
Primævam asseruit qui flammâ vindice lucem,
Non iterum æternâ nocte premendus erit.
Ni populos almo vatemque reviseris ortu,
Quis tibi defectus te sine, Phœbe, canet?

AD FREDERICUM SECUNDUM PRUSSIÆ REGEM.

A. D. 1758.

.....

ERGO insolenti sanguine nobilem
Vindex subactis abdidit hostibus,
Læsæque libertatis ultor
Deposuit Fredericus ensem.
At non inerti Principis otio
Languescit ardor; mox vehementior
Erumpet, adversasque turmas
Austriadum graviore casu
Contundet Heros. Sic ubi murmura
Cessant parumper, quà gemit horridum
Ætnæa rupes, aut Vesevi
Culmina flammivomi colonos
Vicina terrent; jam violentior
Motus refectis viribus ingruit,
Et pestis improvisa latè
Depositum ingeminat furorem.
Tu doctus audis, nec tibi simplicem
Nectit coronam Pallas; at impiæ
Per bella quam sensere turmæ,
Et calami decuere dextram.

Pubes quid acris, te duce, gesserit,
Quid ipse victor, tu spolia inclyta
Dignè, triumphatumque Gallum, et
Saxonidis data jura dices.
Nec te moretur Pieridum cohors,
Ad arma Mavors si vocet integrum;
I, Victor ingens, i, triumphis
Perge novis decorare fastos.

LAUDATURQUE DOMUS, LONGOS QUÆ PROSPICIT AGROS.

A. D. 1756.

.....

CUM nondum artificis sævo violata bipenni
Nativo viguit consita silva loco,
Tum juga, tum valles, et amœni frigoris umbra
Pierio placuit non aliena choro.
At comptis ubi nuda comis et vertice tonso
Humanâ periit quælibet arbor ope,
Musarum fugere chorus; latebrisque relictis
Orbatum Dryades deseruere nemus.
Scilicet avulso tunc marcens cortice taxus
Humana accisis induit ora comis.
Sic abies periit; licuit nec, vindice Phœbo,
Crudeles lauro fallere posse manus.
Restituit naturam arvis generosior ætas,
Et facili incultam comprimit arte Deam.
Abiete succissâ, sua brachia latius ilex
Porrigit, effusis nobiliora comis.
Mœnia supposita non ampliùs ulla recessus,
Arcta nec errantes ripa coercet aquas.
Quos pandunt veneres saltus! Quos silva recessus!
Ut picta æstivo tincta rubore vigent.

Felix, ah! nimiùm felix, cui fata dedere
Hesperii veneres, visere posse soli.
Quà magis expassæ valles, solisque propinqui
Excludit nimias densior umbra faces.
Prodiga quà vires aperit natura, nec artis
Humanæ angusto limite clausa fremit.
Largior hîc campus mirantes lassat ocellos,
Vastaque terrificum contigit arva nemus.
Et procul aërii decurrens vertice montis
Longinquas sonitu territat unda plagas.

VOTES OMINIBUSQUE ET PRECIBUS VOCAT,
NEC CURVO FACIEM LITORE DIMOVET.

A. D. 1761.

.....

QUALE ministerium subeas, latumque per æquor
Quale tibi, Navis, patria credat onus,
Rite memor, caveas, ut ventis lintea pandas,
Ne pateat rimis, ne sine fune latus.
Da breve sævitiæ spatium, Neptune; residat,
Sarcina dum vehitur tam pretiosa, fretum.
Eure, veni; Boreæ jumdudum inimica furentis
Flamina cessantes detinuere rates.
Immemor, heu! raptæ tu nunc, Deus, Orithyiæ,
Sensisti, Boreas ipse, quid esset amor.
Eure, veni; cupidis uxorem Georgius ulnis
Expetit, et tardas increpat usque moras.
Ipse timet, quid nunc sponsæ malè cogitet Auster,
Quid ferat insolitæ tædia longa viæ.
Quin mare prospiciens summâ sedet anxia rupe
Usque vocans surdos Anglia tota Deos;
Et dolet absentis desiderio icta fideli,
Sedula solicitos ingeminare metus:
Atque aliquis cernens è litore carbasa, clamat,
" Signa reversuræ sint precor ista ratis."

Qui modò securi viderunt alta moveri,
Horrida dum rupto turbine sævit hiems,
Nunc omnes terrent auræ, fragor excitat omnis
Suspensos; oneri, non sibi, nauta timet.
At precibus tandem discat mitescere Nereus;
Huc venti spirent, huc agat Eurus aquas.
Ah! venias, Patriæque decus, Regisque voluptas,
Digna tuis, venias, Principe digna tuo.
Nec Nymphas lusûs socias, nec sanguine junctas,
Nec patrios doleas deseruisse Lares.
Rite damus dabimusque preces; ah! grata benignis
Quando erit ut liceat solvere vota Deis?

VOCAT LABOR ULTIMUS.

.....

POSCIMUR: at, nobis si rite precantibus olim
Dixeris optatum, Musa, rogata melos,
Nunc quoque et emerito præsens succurre poëtæ;
Dona ferens adeat sic tua fana cliens.
Tuque, per Aoniis loca si celebrata Camenis
Sæpe tuâ erravi, Pegase, vectus ope,
Decurso prope jam stadio, metamque sub ipsam,
Ne lassa infami membra pudore trahas.
Gentis amore Maro Latium canit: o mihi talis
Spiritus accedat; non minor urget amor:
Ut patriæ, (neque enim ingratus natalia rura
Præposui campis, mater Etona, tuis)
Ut patriæ carisque sodalibus, ut tibi dicam
Anglice supremum Quinctiliane vale.
Si quid id est, veteres quòd Musa imitata, Latinis
Luserit aut Graiis, non aliena, modis,
Omne tuum est; mihi Pieridum de fonte sororum
Pura ministeriis contigit unda tuis.
Teque precor (levitas olim vesana fidelis
Respuit oblatam si monitoris opem,

Acrior aut si me commôrit lingua, meisve
Moribus aut famæ virga ministra meæ)
Ne tot consumptos tecum feliciter annos
Infelix animo deleat hora tuo.
Care vale, valeas et mater Etona, (supremum
Museâ recinit tristis alumnus ope)
Prataque, et aëriâ splendentes vertice turres,
Silvaque carminibus concelebrata meis;
Vosque adeò indigenæ quæ rivi in margine Musæ
Castalias Thamesi posthabuistis aquas,
Extremum concede mihi, sacra turba, laborem;
Sic beet emeritum non inhoneſta rudis.

AD AMICUM HIEMEM OTIOSE AGENTEM.

A. D. 1762.

.....

RIPHÆA Boreas furens ab Arcto
Deducit niveis Jovem procellis,
Et flumen rapidum gelu referneat:
Tu torpes pariter, sinisque brumam
Totos desidiâ ligare sensus.
Non te Castalios juvat recessus,
Nec Pindum peragrare fabulosum.
Non vocem citharæ moves tacentis
Nervos pollice temperans canoros.
Suavis temporibus corona marcet,
Quam lectis Helicone Musa sertis
Texebat, nitidis decus capillis.
Sumis purpureum scyphis Lyæum,
Et ducis facili sopore luces,
Oblitus lepidæ jocos Camenæ.
Si tempus placidâ teris quiete,
Mentem Pierius calor relinquet,
Et Pindum insolito petes labore.
Nequicquam gladiator otiosus
Amissam revocare quærit artem.

Si Phæbum precibus vocare cessas,
Crasso pollicis incitata pulsu
Non responsa fides dabit canora.
Tandem Pieridum flagrans amore
Instaurabis amabilem furorem;
Ad blandæ strepitum lyræ, revertet
Menti vis animosa spiritusque.
Cùm terræ Zephyri sinus relaxant,
Tum Musas viridi vocas sub umbrâ,
Et stratus violis rosisque cantas.
Tu brumâ pariter canas; memento
Exercere lyram foco reclinis,
Dum gratum paterâ bibis Falernum.
Bacchus Castalias amat sorores;
Bacchum carmine concines soluto,
Intonsam Semeles Jovisque prolem;
Cui cingunt tumidi caput racemi,
Cui flavis hederæ nitent capillis;
Sic corde excutiens gravi veternum,
Pulsabis digito lyram perito,
Ingens Castalidum decus sororum.

ARTE EMENDATURUS FORTUNAM.

A. D. 1740.

.....

PHYLLIS, sopitos ut amoris suscitet ignes,
Facta anus, et formâ jam spoliata suâ,
Nativa ingenio reparat dispendia vultûs,
Atque ars naturæ supplet amica vicem.
Tempus edax rerum dentes consumpsit edaces,
Et toties tortæ jam cecidere comæ:
Ergo furtivi flavent nigrantve capilli,
Et decorat pictas forma aliena genas.
Inseritur vitreus, qui nunquam dormit ocellus,
Qualem Argus capiti vellet inesse suo.
Excussis propriis dentes elephantis adoptat,
Insertumque ori leve renidet ebur.
Deinde supercilium instaurat, quæ vellere Phryxi
Mus spolia in tergo fert potiora suo.
Sic, licet amissâ formâ, formosa superbit,
Et veneres jactat nympha recocta novas.
Nascitur hinc alia, atque eadem; redivivaque Phyllis
Arte novâ gaudet se superesse sibi.
Scilicet ingeniosa malis fecundaque mens est,
Atque ars, naturâ deficiente, valet.

Sic, ubi Crusous tumidis servatur ab undis,
Ignoto expositus nudus inopsque loco,
Solus in occultis discit bene vivere silvis,
Et sterilem ingenium fertile ditat agrum.
Non capreæ huic æstate leves, non frigore desunt,
Turgentque in læto semina plena solo.
Horridus incedit maculis et pelle ferinâ,
Tormentoque humerum protegit, ense latus.
Idem, herus et famulus, sibi servit et imperat uni;
Non illi socius, non inimicus adest.
Naufragiis alii pereunt ludibria sævis,
Naufragiis discit fortior ille frui.

TRISTIS SUPERSTITIO.

A. D. 1757.

.....

QUALE ubi diffuso lustratas lampade terras
Ætheriumque emensus iter, sub vespere multo
Solis in occiduo se condidit æquore currus;
Rura solet tremulum radios mentitaque spargens
Lumina pervolitare jubar; quod sæpe viator
Saxa per, et scopulos, et inhospita tesqua secutus,
Concidit in densas fœdâ sub nocte paludes.
Non secus offusâ pavidas caligine gentes
Decipit, et fictâ pietatis imagine ludit
Vana Superstitio; non illâ sævior ardet
Ambitio, miserosve furens in prælia Martis
Acrior instigat populos: tum dira per orbem
Vicinæ ruptis inter se legibus urbes
Arma fremunt; sævis rabiem simul illa catervis
Inspirat, sacrique ciet præludia belli.
Illa graves dubio nigrâ formidine cordi
Subjicit imperiosa metus; tunc ægra paventum
Mutatur species animorum, et pectora motus
Infandos, quos ficta cient miracula rerum,
Concipiunt; hinc spectra modis pallentia miris

Hinc exaudiri voces, noctisque per umbram
Carmine fatidico obscœnas stridere volucres.
Interea fatis, venturâque anxia sorte
Mens trepidat; quæ se maneant post funera sedes
Quærere; seu rapido correptam turbine ferri
Fata velint circum flammantia mœnia mundi,
Extra anni solisque vias; seu frigore tardam
Duratas perferre nives, atque æquora latè
Perpetuo constricta gelu; claustrisve sub imis
Sulphureos habitare lacus, flammasque furentes
Æternum; sic ipsa graves arcessere luctus,
Ultricesque animo gaudet præsumere pœnas.
At neque jam mœstos, quæ pandit amœna locorum
Ambrosio natura sinu, citharæque loquacis
Fila movere animos, rigidamque e pectore possunt
Excussisse Deam: non secius illa timores
Ingeminat, placidi prohibet solatia risûs,
Demissumque gravi contristat lumine vultum.
Nonne vides, quà corda gemens miserabilis Indus,
Ignotique timens suspectas numinis iras,
In se sponte suâ pœnas excogitat: acri
Corpora supplicio excruciat: nunc frigore mortem
Invocat ultricique fame; nunc membra volutus
In terram lentis cruciatibus ægra fatigat.

Illa pio docuit natorum sanguine matres
Commaculare manus, quoties ululatibus undæ
Rabbiacæ sonuere, et mœsta ad funera valles
Hinnoniæ, cùm fœda suo gens rite pararet
Sacra Deo. Templi seget ingens arce Molochus,
Et latices sacrosque humani sanguinis haustus
Flagitat horrendasque dapes; it pallida Mater,
Impubesque gerens devoti corporis artus
Ter sævum tonat ore Deum; ter dira precatur
Numina, ter pavidæ suprema dat oscula proli,
Attollitque manum trepidantem, oculisque retortis
Projicit in medias, succiso gutture, flammas.
Nequicquam moriens acres ciet illa querelas
Triste gemens; læto reboant circum undique plausu
Tympana, et exiles vincunt fera cornua fletus.

\- - - Γαῖα
Πάμπαν εὔῤῥηνος καὶ εὔβοτος.

A. D. 1765.

.....

QUAS vaga per terras versûs oblita lyræque,
Finitimi Thamesis filia, Musa volas?
Cur Pindus, (tibi si placeat cecinisse) vel Hæmus,
Cur patriâ potior suscitat Hybla melos?
Est, ubi tam varios æstas sibi sumit amictus,
Nec nullo interea gramine vernat hiems?
Est, ubi tot colles tondent armenta supinos,
Vellere quà splendent candidiore greges?
Fortè tuas tenui modulatur arundine laudes,
Teque sibi comitem rusticus Arcas habet:
Non tamen Arcadiæ campis mea jugera cedunt;
Hîc gramen vestit pascua, culta seges.
Hybla suas, age, pascat apes, mons Mænalus agnos;
Semper apes et oves, Anglia, pasce meas.
Quid Siculas frustra memorare juvabit aristas,
Quid silvis Tempe clara, Choaspin aquis?
Pascua fecundo Thamesis mea flumine lambit,
Pascua, vel Siculis anteferenda jugis.
Hîc, ubi culta meo respondent rura labori,
Pro pastu domino vellera reddit ovis.

Scilicet hæc Calabras multò superantia lanas
Indus, et hæc petiit per mare fuscus Arabs.
Arcadiis natum memorâsti Pana viretis;
Ipsa suos habuit silva Britanna duces.
Nec tales olim, quales Britannia, quercus
Nutriit Idæo silva dicata Jovi:
Anglia habet quercum, quæ mox regina per undas
Horrisono Hispanas terreat igne rates.

ARBOR MANET ET SEMPER MANEBIT, SATA EST ENIM INGENIO.

A. D. 1756.

.....

FORTUNATA arbos, silvis magis omnibus una,
Cui datur Aonio posse placere choro.
Illam non ignes trifidi, non fulmina turbant,
Invidus aut rapidâ proruit Auster aqua.
Excussis iterum foliis, versoque resurget
Stipite, cumque suo vate superstes erit.
Sic sacræ quercus, sic religiosa vigebit
Laurus, Pieriis concelebrata modis.
Faunorum taciti secessus numen habebant,
Nec Dryadum latebræ, nec sine laude nemus.
Carmina si desint, pulchri nec Adonidis arbor
Hactenus illæsas viva tulisset opes;
Nec Jovis in luco quercus, nec Palladis arce
Frondea honoratis staret oliva comis:
Durat opus vatum, et Mariani fama recessûs,
Quà pulsum abdiderat nobilis umbra ducem.
Cantata Alcinoi jam nunc pomaria florent,
Et sata Mæonio carmine silva viret.
Quid referam, quòd adhuc fulvo se germine ramus
Jactet, et auriferas proferat arbor opes?

Quis nemus umbriferum Daphnes et amœna vireta
Nescit, Oronteâ quà fluit amnis aquâ?
Hennæ prata vigent, ex quo comes îsse sub umbras
Dicitur inferno rapta Puella duci.
Nec tamen Etonæ (si quid mea carmina possunt)
Delebunt placidum tempora longa nemus.
Semper honos, nomenque tuum, silvæque manebunt,
Dum Thamesis liquidas per vada volvit aquas.
Ulme, precor, vivas; tua me, tua protegit umbra
Conantem teneris nectere verba modis.

VOTISQUE DEUM VENERABERE SERIS.

A. D. 1764.

.....

SISTE ratem, quicunque freti securus et auræ
Negligis iratos, quos habet unda, Deos.
Nec priùs oceano fragilem comitte carinam,
Quàm Thetis accipiat rite vocata preces.
Liba feras, ventique memor subitæque procellæ,
Flectat et æquoreum victima cæsa Jovem.
Nec maris aut cœli pellacia linquere portum
Suadeat; haud servant pontus et aura fidem.
Nam nec spreta leves poscent sibi numina pœnas;
Devotam feriet justa procella ratem.
Jamque regi indocilis non arte, sed impete, fertur
Per conjuratas territa puppis aquas.
Accipiet, scopulis vel surdior, aure querelam,
Nec feret auxilium sæpe vocata Thetis.
Ipse etiam intrepidus vates retinacula solvens
Infelix dubium carminis urget iter:
Vela dat oblitus Phœbi, sed vecta per undam
Navigat infausto flamine missa ratis.
Nec minùs incautos hic perdidit error amantes,
Sera dolet læsam spreta marita fidem.

Ipsa oblita sui, subitâque cupidine Dido
Capta, dedit profugo sceptra fidemque duci.
At Dea conjugiis non favit pronuba; tædas
Funereo accensas igne tenebat Hymen.
Quid non fecisti, ne perfidus hospes abiret?
Finibus arceri debuit ille tuis.
Quòd temere ignotum tectoque animoque receptas,
Stultitiam quereris, Colchi, relicta tuam.
Quem malè nunc magico tendis sopire veneno,
Iste fuit primùm præpediendus amor.

OMNIBUS UMBRA LOCIS ADERO.

A. D. 1757.

.....

AT o Deorum quicquid in terris ades,
Cui cura gens mortalium,
Quid ista, quid fert umbra? Cur in me silens
Immota figit lumina?
Cur inquietis assidens præcordiis
Exesa torquet viscera?
Quid, quòd per antra solus occultans caput,
Per tesqua dumis aspera,
Humana vitem sedulus commercia,
Fluctusque tranem turbidos,
Et exterorum civium frequentiæ
Ignotus exul miscear?
En, æqua figens transfugæ vestigia
Infestus occurrit comes.
Quid quòd renidens turba me sodalium
Luxuque mensa regio
Invitet ægrum, suadeatque tristia
Oblivioni tradere,
Curasque terroresque vanos pellere
Jucundiore Libero?

Vix prima cordi lætior concesserim
Festivitatis gaudia,
Quin ecce mensas, iste conturbans furor
Ostentat atrox vulnera:
Dum palpitanti decidunt trementibus
Excussa labris pocula:
Sin strata corpus presserit cubilia
Dulci sopore languidum,
Suoque Morpheus victa claudens lumina
Suffuderit papavere;
Hic triste nutu vindici quassans caput
Pavore somnos excutit,
Noctisque lurido migrantis tempore
Formidolosus ambulat:
Sin nec Deorum corda Manium preces
Nec cæsa placet victima,
Mox sanguinem sat expiabo sanguine,
Ponamque devotum caput.
At o umbra, sic reposta sedibus sinas
Hæc ossa conquiescere.

CIRCUM CÓMPITA PUGNAX.

A. D. 1759.

.....

ARMA vagi pugilis, varias certaminis artes
Aggredior; veterumque audax insomnia vatum
Spernere; non dulces, Phœbo licet auspice, Musas
Supplicibus veneror donis; tua numina vati
Magna satis, scissâ gaudens Discordia pallâ,
Quam clamor cædesque juvant, atque horrida fœdâ
Ora cicatrice, invisoque fluentia tabo.
Adsis o propriosque inscribas sanguine ludos.
En, pugilum torvo incedit spectabilis ore
Turba minax; dextrâ pugnam committere inermi
Seu juvat, aut validis impingere mutua lignis
Vulnera, et illiso palmam sperare cerebro.
Conveniunt paribus ruituri in bella lacertis,
Quos aut Hocleia, heroum fortissima nutrix,
Quosve tuæ, Marabona, domus, edura propago,
Quosque pater circum Thamesis tulit omnibus undis.
Armati ex numero Lanii, par nobile, fratres
Prosiliunt; quos priscus amor, quos gloria palmæ
Nunc iterum extremâ cogit consistere arenâ.
Alter in extento librans se poplite, turbæ

Ostentat latos humeros alternaque jactat
Brachia, acerba tuens; frontem cui crebra cicatrix
Signat arans, et turpat honesto vulnere malas.
Hostis, cognati spes magna et gloria pagi,
Contra stare audet; quo non præclarior alter
Ligna vibrare manu, et celeri sinuamine dextræ
Transversum tuto detrudere vertice fustem.
Nec mora, committunt pugnas, et verbera uterque
Accipiunt redduntque; sonant illisa vicissim
Tela cavo lateri, solidoque excussa cerebro;
Nec sequitur cruor: hic confisus viribus instat
Acrior, et vastis meditatur vulnera plagis;
Ille dolis; ficto nunc impete brachia tendens
Irrita, nunc retrahens, multo sua tempora gyro
Protegit, et pronos celer arte reverberat ictus.
Nec mora, nec requies; nunc pagi multa recursat
Gloria, nunc sua fama viris, multusque galerus,
Quem procul adversâ suspensum ex arbore caupo
Ornavit vittis, atque oras ambiit auro.
Bella novant, dubiis pendet victoria pennis:
Urgentem vastis hunc viribus ille vicissim
Actus agit, certoque movens libramine fustem
Ingerit, adversâque aperitur fronte cicatrix.
Protenus effuso conclamant sanguine turbæ.

Plaudite, festivus reboat lætum undique circus;
Plaudite, responsant Thamesino flumine ripæ.
Sedula Olympiacas miretur Græcia laudes;
Primus ubi circum pagos et compita pugnax
Retulit Alcides ficto nova sacra parenti,
Instituitque suos anno redeunte triumphos.
Non minor Angliaci pectusque animosque popelli
Laudis amor tangit; Pisæ solennia quanquam
Dis propiora gravi stimulo regalia corda
Exacuant, idem plebem trahit æmulus ardor,
Et Lanios pariter sua gloria, laus sua tangit.
O fortunatos nimium, quos vivida virtus,
Quos patriæ divinus amor, pietasque coëgit
Nunc, cùm bella manus poscunt, deponere cæstus,
Spiculaque gladiosque levi mutare bacillo.
Majus opus moveant; nec jam ludicra petantur
Præmia; nunc animis freta et virtute tuorum
Attonitas paces victrix Britannia gentes;
Et tua compositis veneretur litora telis
A conjurato descendens Russius Arcto,
Austriades, Gallique, et quos alit horridus Ister.
Marsque o si spectata tibi Britannia curæ est,
In melius miseros pugnarum inverte furores,
Quasque adimis pugili, surgant in milite vires.

Σιγή. A. D. 1766.

.....

FORMA genæque Chloes turbæ placuere procorum,
Vicit victrices invida lingua genas.
Nam quanquam juvenes oculorum gratia tangit,
Quos decor et capiunt lumina, lingua fugat:
Cottile, te solum excepto. Quid multa? loquacem
Odit nec sponsam vir, neque sponsa virum.
Paulatim infirmi languebant pectoris æstus,
Et dirupta recens fœdera sentit Hymen.
Assiduo cessit pulsus clamore Cupido,
Et mala mutati cœpit amoris hiems.
Fallere nequicquam curas vis, Cottile, vino,
Et tua Lethæo proluis ora mero.
Effera non ipsis aberant convicia mensis,
Nec nox cum somno est, nec sine lite dies.
Cum primam ad lucem multo munitus Iaccho
Expectata domi prælia fortis init.
Conjugis ingresso sic dat prior ira salutem,
Totaque rixanti consonat ira domus.
" Importunus ades! qualis? quo tempore tandem
" Venisti in luctus, vir scelerate, meos?
" Siccine nequitiâ socialia fœdera rumpis?
" Hæc mihi conjugii pignora sola refers?"

Hæc ingrata diu versabant jurgia vitam,
Nec torus accepit, mensa nec una. duos.
Curarum hinc requiem quærens finemque malorum,
Tristis avi tandem sponsa rogabat opem.
" Connubii rixis fluit utilis unda per agros,
" Unda meri potior fontibus;" inquit avus.
" Non sic ægrotus medici solatia sentit,
" Ut tu quæsitam garrula fontis aquam.
" Si tibi morosus quondam adsit Cottilus, amplum
" Compresso cohibens flumen in ore, tace.
" Rixetur conjux: tu dulcior excipe risu;
" Et lingua invitos comprimat ore sonos."
Dixerat: hæc reducem expectans sub luce maritum
Innocuos versat pectore læta dolos.
Expectatus adest tandem, ingressusque reclamat:
" Quo fugit sponsæ fulmen et ira meæ?"
Illa nihil: jussi tantùm medicaminis haustum
Sumit, et arridet lenis amansque viro.
Obstupuit, retroque pedem tulit ille, maritæ
Attonitus nullâ voce sonoque suæ:
Multa rogat; non illa refert responsa roganti:
Multa rogat; jussas illa resumit aquas.
Facta probat conjux; solitumque recepit amorem
Pacato pariter sponsaque virque toro.

DE DOLO MALO.

A. D. 1756.

.....

LITTERULIS satis imbutus, comis, lepidusque,
Caius eques Romanus, amator ruris et otî,
Mercari (ut fama est) aliquos se dixerat hortos
Velle Syracusis: hâc mente, ut lentus in umbrâ
Se recreans, lectisque sodalibus, ac lare mundo
Duceret urbanæ jucunda oblivia vitæ.
Nec mora, quin totam crebrescat fama per urbem.
Pythius huic casu quidam vafer obvius ibat,
Dives agris, dives positis in fœnore nummis.
" Propter aquam curvis in vallibus est mihi villa,
" Et fundus non venalis; sed si placet omne id
" Crede tuum; parvos hortos spectare licebit
" Ruraque, si cœnes hodie mecum."—" Ut libet," ille.
Nominibus solitus variis expendere nummos
Gratiâ apud totum fertur valuisse popellum
Pythius; has igitur meditatur subdolus artes:
Edicit, piscator uti per litora plures
Ante hortos statuat cymbas, et retia tendat.
Adfuit interea Caius; comptique ministri
Instituunt epulas, dubiæ et convivia mensæ.
Interea innumeris stipantur litora cymbis:
Gens piscatorum prædam officiosa reponens

Hospitis ante pedes, quasi debita munera solvit.
Tum Caius piscatores cymbasque natantes,
Et tot vicino raptos de gurgite pisces
Mirans, quid tam rara velint spectacula, poscit.
" Hæc," ait, " est cymbis statio notissima; quicquid
" Piscium habent maria, huc veniunt: hîc dulcium
aquarum
" Fons est, quo neque frigidior, neque purior Hebrus.
" Hâc villâ Siculi nequeunt caruisse Penates."
Post hæc, ille catus cœlumque arvumque Sicanum
Non cessat laudare. Videt, cupidusque precatur,
Ut sibi vendat agrum. Primò vafer ille gravatè
Vendere posse negat. Caius tamen instat, et urget;
Impetrat; et, quantum poscit sibi Pythius, offert.
Mille talenta rotundantur, totidem altera; porro
Instructos emit, et decisa negotia linquit.
Cras socios vocat ad cœnam: venit ipse, nec usquam
Apparet cymba, aut piscator retia tendit.
Proximus huic, num quæ cives hîc festa celebrent
Quærenti, " Non est locus," inquit, " piscibus aptus;
" Quod sanè mirabar herì tantam undique turbam
" Confluere, insolitis et litora fervere cymbis."
Continuò Caius stomachari, et plurima secum
Volvere, quo pacto amissas res integret; at lex
Nondum aliud voluisse, aliud simulàsse, vetabat.

NUNC DECET AUT VIRIDI NITIDUM CAPUT IMPEDIRE MYRTO.

A. D. 1774.

.....

VER, decus primum redeuntis anni,
Cui favet ridens Venus, ambiuntque
Serta texentes variis decoræ
Floribus Horæ;
Pone me campis, ubi te columba
Voce præludens querulâ salutat,
Et polum fragrans Zephyrus tepente
Ventilat alâ.
Pone me, densas ubi quercus umbras
Desuper pandit, viridisque luci
Scena vestitu gelido crepantes
Obtegit undas.
Hic reclinato, pia Musa, mecum;
Improbos turbæ meditare fastus,
Negligens plausus, vitreoque vulgi
Major honore.
Sternitur molles pecus inter herbas;
Pastor ad ripam vacat otiosus;
Sedulum circa natat in sereno
Aëre murmur.

Turba muscarum tibi, Ver, renata
Ludit exilis; juvat intueri
Mobiles gyros, gravidæque gentis
Mellea furta.
Pars odoratos vaga libat herbas;
Pars (quibus vitam brevis hora finit)
Explicat soli maculosa pictis
Corpora plumis.
Hîc homo fastu tumet impotenti
Strenuè segnis, fragilique lætus
Gaudio lascivit, acerbioris
Immemor ævi.
Mox ubi effetum glacies senectæ
Alligat, frustra querulus prioris
Desinit luctûs, caput et silenti in
Marmore condit.
Fallor? an motæ tenui susurro
Personant aures? "Quid inepte versas?
"Tune nos culpas operata vano
"Musa labore?
"Non tibi plumæ decus enitescit
"Invide; ah! nullum tibi ver recurrit:
"Ludimus nos, dum nova *Maia* lusus
"Rite secundat."

CARMINE DI SUPERI PLACANTUR, CARMINE MANES.

A.D. 1755.

.....

O GRATA vatum quæ regis impetus,
Phœbique donum et Pieridum, Lyra,
Chorea quam dulcisque cantor,
Lætitiæ moderator audit;
Tu tela cœli, tu trifidos Jovis
Extinguis ignes. Ætherio sedens
Sopita dormit sceptro, utrinque
Compositis Aquila ipsa pennis,
Regalis ales. Tu nebulâ caput,
Suavique claustro lumina protegis:
Tuoque plumas læta cantu
Tollit avis madidumque tergum.
Quin te relicto sanguine lenior
Gradivus ambit: Dî superi tuas
Sensere vires, inferique
Tartareo recreantur antro.
Tu barbarorum voce hominum genus,
Et sæva dulci pectora carmine
Tu blanda formâsti: sub imis
Vorticibus sonat ipse laudes

Nivalis Hebrus: numine nam tuo
Gentem ferocem et Thrëicium genus
Polivit Orpheus. Ille raptam
Manibus Eurydicen sub ipsis
Quærebat; ausus Tartareas domos
Furvamque noctis visere regiam,
Et barbiton pulsans sonantem
Persephones penetravit aulam.
Sed non amatam bis potuit lyra,
Raptamve cantus reddere conjugem:
Tum solus horrentes pruinas
Questibus et glacialis Hebri
Implevit oras; voce feras agens,
Dulcique mulcens carmine Tigridas,
Aurita mirantem per Hæmum
Saxa trahens rigidasque quercus.
Hunc turba Bacchi concita numine,
Interque Divi sacra furens, suos
Sparsere discerptum per agros:
Tum quoque dum flueret per Hebri
Spumantis undas, Eurydicen vocat
Revulsa cervix; Euridicen gemit
Vox ultima, et ripas per omnes
Eurydicen referebat Hebrus.

VOS VALETE ET PLAUDITE.

A. D. 1765.

.....

SICUT ubi extremo trepidans moritura calore
Incertum vibrat sicca lucerna jubar;
Emicat exultim fugitura, iterumque relabens
Lambit anhelantem lux rediviva facem.
Haud secus invitâ decedens voce Camena
Vix tibi supremum dicit, Etona, vale.
Vix tardos solitâ gressus detorquet ab arce,
Dilectum Phœbo devenerata nemus.
O mihi culta Parens semperque colenda, juventæ
Tutela, Aonidum dulcis, Etona, domus.
Si quid id est, quòd amore pio tua templa, quòd arces,
Quòd sacrum colui fidus honore nemus;
Quòd docili tecta intravi secreta labore,
Ausus Apollineis incaluisse choris.
Si bene quid de te merui, concede vicissim,
Hoc leve (si fas sit) fama sequatur opus.
Elidos ad campos, fervens ubi carcere victor
Mollia supremo crura reponit equus;
Perfusos sudore toros, et pectora flatu
Gratus anhelanti turgida mulcet eques.

Si justo Æsopus referat mandata dolore,
Ingeminant celebres Amphitheatra sonos:
Nec, lepidâ exultat si Roscius arte, recusat
Plaudere collisâ docta corona manu.
Sic ubi Palladias patiens tractârit alumnus
Artes, Aonii fretus amore Dei:
Æmulus hunc chorus accipiet, carumque fovebit
Inscriptum fastis nomen, Etona, tuis.
Testatur Thamesis, quoties ex margine glaucum
Tollit arundineo cinctus honore caput,
Testatur laudes, ducit cùm blanda cubante
Naïadum æquoreos margine turba choros.
O nemus Aonidum, vos o valeatis amici,
Templaque Pieriis nobilitata choris.
Quòd si me dociles inter numerabis, Etona,
Major Olympiaco Psaumide victor ero.

Φοῖβος πολίεσσι φιλήδεῖ
Κτιζομέναις.

A. D. 1755.

.....

QUIS, Phœbe, prolem te Jovis inclytam
Famamque dicet? Quis merito tuas
Honore laudes? seu poetam,
Seu medicum celebrare malit.
Vel si peritum te jaculo canat,
Narretque cæsum sub puerilibus
Pythona telis occidisse,
Horribilem crepitante dorso.
A te sagittæ missæ adamantinis
Hæsere squamis—Tu quoque mœnia,
Arcesque curas; tu theatris
Imperitas nitidisque templis.
Jubebat ultro mœnia surgere
Phœbi voluntas: sponte ruit suâ
Montana moles, inque jussos
Saxa volant resoluta muros.
Ignotus ambit jam silicem nitor,
Lapisque sordes exuit horridas;
Levesque miratur columnas,
Et rutilum nova Troja marmor.

Docente Phœbo, floruit artibus
Argiva tellus: Phœbus et Italas
Formavit ædes, intulitque
Harmoniam Latio decoram.
Sed quæ latebræ, vel quis Apollinem
Celabat orbis, cùm Scythicæ vagum
Examen oræ per patentes
Italiæ furor egit agros.
At ars honores nunc iterum suos
Renata poscit: mersaque Gothicis
Dudum tenebris, prisca tandem
Simplicitas rediviva surgit.
Tu templa dexter, Phœbe, Britannica,
Urbemque serves; ne veterum decus,
Graiæque Romanæque luxu
Barbarico veneres premantur.
Jam siste prudens, jam decus, Anglia,
Resume priscum; desine cultuum
Chinesiorum, simplicesque
Harmoniæ venerare ritus.

AD AMICUM CANTABRIGIENSEM.

A. D. 1757.

.....

QUOD procul Etonâ campoque potitus aperto
Liberior, tot tanta rapis sine vindice virgâ
Gaudia; quòdque tibi contingunt omnia quæ vis,
Gratulor: et quòd non puerum, vir dictus, amicum
Respicere, æquævique pudet meminisse sodalis,
Gratum habeo: tamen hoc miror, dic obsecro, quæ te
Tempore tanta brevi cepere oblivia? quæris,
Quid faciam tardus, quæ magna negotia? quæ me
Contractum studia invisæ remorentur Etonæ?
Sæpe mihi exiguum ludens miserumque cubile
Objicis; at caveas, quæ nobis maxima prosunt,
Hæc eadem ut stringas malè salso incommoda risu.
Quid quòd ubi incumbam studiis, compingar in arctum
Angulum, ut inflexis genibus prope tangere mentum
Cogor, et afflanti placidoque resistere Phœbo.
Aut si fortè nimis subito correptus ab œstro
Exiliam, rectis cupiens insurgere talis
Exertum frangam caput, aut fortasse lacunar.
Quid quòd ab adverso murum culmenve culini

Prospiciens, solis mihi dimidiata fenestra
Excipiat parcè radios, nec gaudia vana
Errantes captent oculos animamque sequacem.
At grati interea comites, at copia librûm
Lecta subest: hîc ante omnes mihi grandis Homerus
Immensum tonat ore melos; hîc Tullius, hîc et
Optimus ille Maro, et quicunque aut pectoris imi
Describat motus varios, aut utile dulci
Commiscens vitæ tradat præcepta beatæ.
Hos tu verba vocas, ut lucum ligna; quòd assem
Nescio adhuc centum in partes diducere, nec jam
Et solem et stellas magicâ depingere chartâ,
Dum radio retegat motus operosa Mathesis.
Sin mecum dulces possim concludere Musas,
Cur doleam angusto contractus limine claudi?
Scilicet his vati interdum præsentibus, ipse
Scribo aliquid; seu nos elegeïa flebilis optet
Alternis lugere modis; seu forte epos acer
Aggrediar; seu te recolens, dulcissime Flacce,
Sermoni propiora loquar. Quòd si Pater istis
Annuat, atque suo facilis me signet honore,
Tum nec Olympiacæ dignatis munere palmæ
Invideo, magnos agitans de more triumphos.

EX ISAIÆ, CAP. 14.

A. D. 1756.

.....

IO, dolores et queremonias
Turpesque luctus projice, projice,
Judæa tellus! I, superbum
Tolle, Sion, rediviva culmen!
Fregit potentem magna Dei manus
Virgam tyranni; concidit urbium
Regina, victoresque reges
Turpe solum tetigere mento.
Jam nec relicti sanguine civium
Tinguntur agri, nec furor impius
Impune grassatur per urbes
Imperiis minitans ruinam.
Victus cruento pulvere corruis;
Jaces inultus: jam fragor horridus
Residit armorum, et solutus
Servitio requiescit orbis.
Cernis, serenos lætior induit
Ut terra vultus? cernis, ut abietes
Per montis exultant cacumen,
Ut, Libani decora alta, cedri?

Ipsæ insolenti non sine murmure
Silvæ triumphant: jam Babyloniam
Ridemus illæsæ securim,
Nec viridi viduamur umbrâ.
Tibi barathro motus ab infimo
Assurgit Orcus, sceptrigeras ciens
Circum catervas: te tyrannûm
Purpureus veneratur ordo,
Ludum insolentem ludere pertinax.
Tene occupavit dura necessitas,
Superbe Victor? Te sub umbras
Vis rapit imperiosa leti?
O ut recessit pompa minacium!
Ut fracta virtus! Assyriæ jacet
Regnator, impastique vermes,
Fœda cohors, populantur artus.
Ut decidisti, splendide Lucifer,
Eoa proles! Occidit, occidit
Porrecta majestas ab ortu
Solis ad Hesperium cubile.
At tu minari quidlibet impotens
Tyranne nuper, " Non ego longius
" Morabor in terris, sed arces
" Ætherias liquidasque tangam

" Domos Jehovæ : jam mihi maximus
" Jehova cedet ; me venerabitur
" Prostrata tellus, me benigno
" Ture colent precibusque gentes ;"
Dixti : furores sed minuit Deus ;
Nam te trisulcum fulmen ad infimas
Detrusit umbras, et profundo
Lurida mors cohibet sub Orco.
Fors et viator, solus inhospita
Dum tesqua lustrat, flebile conspicit
Cadaver, inversamque sortem
Sic dubio meditatur ore.
" Jacetne magnus sic Babylonius
" Regnator ? Hic est, qui modò proruit
" Duces, et exegit tyrannos ;
" Qui pavidum tremefecit orbem ?"
Atqui tyrannos magnificæ tenent
In morte sedes : tu sine nomine
Putrescis, invisum cadaver,
Alitibus canibusque præda.
Nam nec sepulcri te patrii tenet
Augusta moles ; nam neque laurea
Manes obumbrabit superbos,
Nec decoris monumenta seri

Tropæa surgent: sed sine gloriâ
Condentur omnes illacrymabiles,
Quicunque dextras immerentum
Sanguine commaculant tyranni.
I, stringe ferrum! morte luant scelus
Nati parentum!—" Non ego (quem genus
" Mortale, quem cœlestis ordo
" Invocat) Omnipotens Creator,
" Non cui rubescit fulmine dextera,
" Impune læsum conquerar impotens
" Numen, sed extinguam nefandæ
" Nomina reliquiasque gentis:"
(Jehova dixit) " Quà Babylon caput
" Sublime, nuper regia, sustulit;
" Hîc stabit informis profundi
" Unda lacûs; laticesque fœdos
" Inter palustris perstrepet ardea,
" Lugubre plorans. Improba senties
" Tellus, quid indignata magni
" Dextra Dei scelerumque vindex
" Jehova possit: protenus et sacro
" Super Sionis culmine principes
" Frangam superbos, et minacem
" Subjiciam pedibus tyrannum."

——— περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο
Τεύχεα πεπλήγοντες ———

A. D. 1759.

.....

ALMA fave, quæcunque inter pulcherrima cœtus
Nectis Acidalio gramine, Diva, chorum.
Et tu, quæ Marti, Euphrosyne, comes, æris ad ictum
Diceris armatos implicuisse pedes.
Hinc et Amazonidum pictis spectabilis armis
Cingit honoratos ordine turba focos.
Loricæ, hastarumque acies procul ærea fulget,
Nutat et ad justos horrida crista modos:
Scuta sonant, pharetræque humeris; nectitque vicissim,
Solvit et alternos tibia pulsa gradus.
Haud aliter, quàm cùm, pluviæ prænuncia, cursus
Incipit, et stratos verrit hirundo lacus:
Radit aquas perplexa, atque orbibus impedit orbes,
Et dubium pennâ præpete signat iter.
Nec minùs instantis saltu præludia belli
Exprimit, et pugnam lætior Indus avet.
Unà omnes nudi coëunt, hinc cœtus et illinc
Fingit ad accensos barbara sacra focos.
Captivos latè gemitus lætumque ululatum
Jam jam cessuris audit Ohion aquis;

Audit et Angliacis Laurens malè viribus æquus,
Horret et in refugo conscius arma sinu.
Scilicet hinc major coit in præcordia virtus;
Bellaque, et oppositos spernere discit equos.
At nec ita, ad serum quà gens (ignobile) cantum
Femineâ indignos implicat arte choros.
Quis timor hinc, quin parvâ impune Britannia classe
Vindicet æquoreas imperiosa vias.

OMNIBUS UMBRA LOCIS ADERO.

.....

DIRIGIT incertos nocturnâ luce per herbas
Quæ levis umbra pedes, atque irrequieta vagatur
Obscuras inter frondes tacitosque recessus
Antiqui memoris? tremulam quà pallida lucem
Fundit Luna, novis et corda timoribus implet.
Illa est! sed miseræ quæ causa indigna serenos
Fœdavit vultus? maculant quæ vulnera pectus?
Purpureus cur ensis adest? Heu! sanguine tinctam
Ostentat vestem, et pollutum sanguine corpus.
Ergone fraternos sic deseris, improbe, natos?
Aspice dilapsas veneres moribundaque membra,
Pallantemque rosam, quæ nuper plurima vultu
Erubuit; clausi ecce jubar languescit ocelli!
Haud aliter, si quis Divôm mortalia curet,
Succumbet morti crudelis victima conjux.
Te cœli pluat ira super, prolemque futuram:
Dum socii mortis celebrant solennia, forsan
Tunc aliquis tristem cernens procedere pompam,
" Sic, sic," clamabit, " mors invidiosa superbos
" Indeploratos sub inania Tartara mittat."

Siccine supremos umbræ manus impia cultus
Denegat, heu miseranda Chloe? nec fida tuorum
Triste ministerium morienti turba peregit?
Non clausit socius tua lumina, nec pia mater
Impositum lecto flevit, patrioque sepulcro
Ploratum posuit corpus: manus extera membra
Imposuit tumulo, manus extera lumina clausit.
Quid quòd defunctæ nullus celebravit honores,
Nec tumulo infudit lacrymas moriturus amator;
Ad tumulum cecinit quòd nullus funebre carmen,
Nec levi apparent insculptæ marmore laudes:
Non minùs exurgunt virides e cespite vivo
In tumulo flores, fortunatâque favillâ
Nascentur violæ, lacrymasque Aurora profundet,
Rorantes primâ cùm viset lampade terras.
Flebilis umbra vale! externo requiesce sepulcro,
Donec longa dies, perfecto temporis orbe
Ad superas tollat sedes cœtusque beatos.

AD ANUM QUÆ PRIMA DOCUIT ELEMENTA.

A. D. 1775.

.....

O QUÆ prima meo finxisti verba palato,
Arte tuâ certos eliciente sonos,
Cum tenera in dubio sitiens conamine vocis
Hærebat mediâ lingua retenta viâ:
Parva fero tantæ, sed debita, carmina laudi,
Curæ habeas fructus, blanda magistra, tuæ.
Cùm nec linqua sonum, nec nôrunt lumina formam,
Guttaque jam vitreo stabat oborta salo;
Tu digito obliquos monstrabas indice tractus,
Sæpius et linguâ est vox iterata tuâ.
Ut trepidam mulsit blando patientia vultu,
Syllaba cùm longas fecerat una moras.
Sæpius illevit sordes manus uncta tabellis,
Sæpius est lacrymis facta litura meis.
Nam monitus periere vagi, ceu litore forma,
Quam lavat assiduis unda relapsa fretis.
Tu risus lacrymasque uno de fonte ciebas,
Servabant oculos lumina nostra tuos.
Sæpe tuo pressi nutu fugere cachinni,
Sæpe abiit risu gutta fugata tuo.

Sic modò concutiens virgam, modò crustula donans,
Fingebas tenerum voce manuque gregem;
Donec inassuetis hæserunt vocibus aures,
Et vitium edomuit dædala lingua suum.
Clausa brevi morumque sagax sententia versu
Nunc etiam memori condita mente sedet:
Nunc quoque recta monens animo jucunda recurrit
Fabula, seu volucris, sive locuta fera est.
Sic olim eruduit binos Cornelia natos;
Verè maternus quàm fuit ille labor!
Gratia qualis erat! quanta hoc facundia cultu
Romano intonuit libera jura foro!
Salve Musarum, nec parvâ laude, Sacerdos,
Et sub Pierio stent tibi templa jugo.
Quà prima ad summum flectit se semita montem,
Nec pandunt aliam saxea claustra viam.
Inscribam, " Hæc, didici quâ prima elementa magistrâ,
" Carmina tu, grati pignus amoris, habe."

CHORUS EX SOPHOCLIS ŒDIP. COLON. V. 1099.

A. D. 1758.

.....

O SI secundo per liquidum æthera
Ferar volatu litus ad Atticum,
Quà Martis æratas catervas
Ad celebres Marathonis oras
Cient sorores: aut ubi mysticæ
Colit sacerdos Persephones sacra,
Non impiâ vulganda voce,
Sed tacitis celebranda tedis.
Hìc bellicosus per juga montium
Ad arma Theseus irruit, impio
Quà rege direptæ sorores
Jam trepidant per acuta belli.
Aut in nivosis Ægalei jugis,
Quà pascuis fecunda *Decelia*
Virescit, effusis juventus
Fervet equis volucrique curru.
Jam jam minaci flebilis ingruit
Clamore Mavors: Attica jam cohors
Non impetu leni frementem
Urget equum medios per hostes.

Ut incitato læta frementibus
Bigis juventus insilit impetu,
Fulgorque frenorum trementes
Terret equos! Rapit arma pubes,
Quæ rite justis numen honoribus
Colit Minervæ, quæ Dominum æquoris,
Quem Rhea dilectam reducto
Progeniem peperit sub antro.
Certatur, an me ludit imagine
Mens falsa pugnæ? Jam videor mihi
Tropæa præsumpsisse belli:
Læta redis, iterum, puella,
Amplexibus jam reddita patriis.
Non auspicatos Jupiter impetus
Creontis effregit, minaces
Turpe solum tetigere turmæ.
O si columbæ præcipiti volans
Pennâ remotas deferar in plagas,
Quà victor hostili reportat
Cæde rubens spolia ampla Theseus!
At o Deorum maxime Jupiter,
Qui cuncta lustras lumine provido,
Creonta Thebanamque turmam
Egregio superet triumpho

Thesea pubes. Te simul, Atticæ
Minerva custos, rite vocabimus;
Phœbumque non segnem ferarum
Montivagos agitare cœtus
Arcu sonanti; et te, nemorum potens
Diana, cervis versicoloribus
Stipata: raptorem tyrannum
Cecropiâ prohibete terrâ.

β

MUTAS AGITARE INGLORIUS ARTES.

A. D. 1765.

.....

SUNT, quos per cædes, per bella, per æquora, vectos
Convocat in templum Fama cruenta suum;
Quos moritura Parens, Orborum lacryma, Conjux
Mortua, vel cæso fratre Puella, juvat.
Hospitibus struxisse dolum, sparsisse venena,
Fœdera vel sancti commaculâsse tori.
Forsitan hic ostro indutus, lectisque recumbens
Purpureis, hilarem Baccho agitante jocum,
Cœnet, nocturnæque legens vestigia rixæ,
Integret obscœnas, sole rubente, dapes.
Ite leves Nugæ, vacuæ vaga Somnia mentis,
Cinctaque regifico tegmine Cura, vale.
At rigui saltus salvete, cubilia vallis,
Secessus nemorum, pascua, prata, greges;
Et fluvii quicunque vagam super hospitis undam
Multâ luxurians arbore nutat apex.
Hîc tibi, Melpomene, accedens comes aurea tranem
Sidera, palantes te moderante gradus:
Hîc somnum agresti suadentia murmura ad aures
Nocte vehat prono Thamesis amne meas.

Nunc juvet Aurorâ silvas pingente coruscas
Roscida lascivo verrere rura pede;
Marmoreo torpore tuos nunc, Iri, colores
Mirari, variâ quos aqua luce refert.
Stratus ad irriguos fontes ripamque cubantem,
Quid referat veri Graia tabella, legam.
Nec veteres saltus Academi almumque pigebit
Incoluisse pio semper honore nemus.
Solennemque aulam, picturatamque fenestram
Vibrantem dubiæ spicula lucis, amem.
Et, precor, argenteô capiti si vita supersit,
Fas lateam cellis hospes, Etona, tuis.
Mentis adhuc compos, hirsutâ cinctus abollâ,
Astra mihi curæ sint pluviæque, velim.
Dum, rerumque sciens longoque sagacior usu,
Ventura, argutâ voce cicada, canam.
Meta meis aderit votis, si talia tangam
Gaudia, si tali vita tenore fluat.

MORTEM SENIS EXPECTARE LONGUM CENSENT.

Job loquitur. A. D. 1775.

.....

NON Luna noctis lampade dissipet
Istius umbras: ah! pereat dies
Caliginosis obvoluta
Nubibus, horribilisque noctis
Damnetur umbris; quâ miserum tulit
(Proh vita curis obsita! Proh dolor!)
In lucem, inassuetâque mater
Progeniem pietate fovit.
O si innocentem me juvenem necis
Hora abstulisset gratior, et meam
Ætate primâ liberâsset
Corporeis animum catenis!
Jam jam tulisset terra benignior
Levamen, ægræ solicitudinis
Victrix, sepulcralique corpus
Compositum requiêsset urnâ:
Sic ipse curas exuerem graves.
Benigniorem sentit opem necis
Captivus ereptus profundo
Carcere, perpetuæque noctis

Horrens tenebras; in gremio necis
Somno potitus, servitium excutit:
Sic, sic laboranti salutem
Perpetuam dabit æqua tellus.
O si liceret visere regiam
Sacrosque fontes, quà pietas calet
Vivax, et æternùm quiescens
Umbra patet taciturna noctis.
Fatò triumphans sic anima exuat
Vitæ catenas, libera, particeps
Cœlestis auræ; nec solutos
Cura animet rediviva sensus.

IN ALAUDAM QUÆ CŒCATIS OCULIS OBIIT.

A. D. 1781.

.....

EHEU! sola meæ Chloës voluptas
Luctus passa graves perît alauda.
Cur vero lacrymis rubent ocelli,
Cur pectus tremulum micat puellæ
Mœrorem ingeminans inefficacem?
Palmis ipsa dedit neci volucrem:
Nam quamvis placidum monere Phœbi
Cantu dulcisono solebat ortum,
Et fida occiduos alauda cursus:
Non contenta Chloë, rudes, et una.
Nuper simplicitate qui placebant
Naturæ, cumulare quærit artis
Cantus auxilio, nimisque doctum
Concinnare melos; quod innocenti
Angores nimios parat volucri.
Nam ne visa oculos ubique captent,
Ne quî distrahat avocetque mentem,
Ne saltans agili hinc et inde passu
Fòrs curet dominam parum docentem:
Noctem perpetuò tenebricosam,

Infert exiguis ferox ocellis
Et (quænam faciat ferociora?)
Ipsam lucem adimit ; sed illa saltem
Captivæ tenuis fuit voluptas.
Ah! quod te grave numen incitavit
Ad tantum scelus? (at scelus vocetur)
O incauta Chloë, quid incitavit,
Ut caro macules cruore palmas?
At mors delicias tuas peremit,
Mors finem misero tulit dolori.
O lugete pii chori volucrum,
Et mecum misero dolete cantu:
Jam jam mitte tuas, Itys, querelas,
Antiquos Philumela mitte luctus:
Nam vos cura vocat nova ; ite, tristes
Plorate exequias decusque alaudæ!
Et tu, dum lacrymis rigas jacentem
Votivis volucrem, secuta raptam
Quo desiderio, Chloë, revolvas
Tecum sævitiam tuam, sciasque,
Quòd Natura fero sine artis usu
Omnes sola dabit regetque voces.

ANIMUS CUJUSQUE EST QUISQUE.

A. D. 1765.

.....

SICUT ubi Phœbe vicinis ignibus errans
Tethyos alternas sorbet et inflat aquas;
Sic animus tacitè excubiis exercitus, auræ
Simplicis ætheriam spargit in ossa facem.
Usque repentinis huc illuc motibus æquor
Temperat in certas menstrua Luna vices;
Sic mens diversis affectos motibus artus,
Et totum mirâ lege pererrat opus.
Causidico, rapidæ moderata tonitrua linguæ
Mirificum eloquii sufficit una melos.
Quòd bene lascivos Naso descripsit amores,
Vivit; et in lyricis Lesbia nympha modis.
Omne tuum est, quòd congestos Sophus orbibus orbes
Suspicit, aërii lucida regna poli.
Tu veri arcanos potes una recludere fontes,
Et Sophiæ ancipites explicuisse vias.
Sed neque cœlestis scintillula vivida flammæ
Nescit corporei rumpere claustra luti.
Ast exuta semel gravidæ retinacula carnis
Vindicat optatam præpes ad astra viam.

Membra licet viridi jaceant putrefacta sepulcro,
Marmor et inscriptis stet super ossa notis;
Mista licet vetito coëant elementa duello,
Desinat alternas Lunaque Solque vices:
Illa eadem incorrupta, indebilitata, manebit,
Ibit et ad superas libera, pura, domos.
Hoc nisi nescierat, non corripuisset Achilles
Lora per Hectoreas trajicienda pedes.
Cur struis, Æacide, quas nescis sumere, pœnas?
Occiso feritas nil nocet illa duci.
Quid quòd membra gemens e turribus Ilion altis
Conspicit Argolicis dilaceranda rotis?
Vivit adhuc Hector non sic cruciandus; ademptâ
Luce feret gelidum vulnus inane latus.
Ulterius ne tende odiis, nil Hectora lædit
Quæ pœna indignos stringit habena pedes.

CELEBRARE DOMESTICA FACTA.

A. D. 1774.

.....

QUÆ cura vatum, aut Phidiacus labor
Nomen Britannum per revolubiles
Æternet annos? quem coronet
Laude piâ titulisque famæ
Benigna Clio? Justitiæ comes
Fidelis, Alfred, te penetralibus
Doctrina cultis, te parentem
Ingenuæ venerantur artes.
Nec te silebo, fulmen aënei
Edvarde belli; cui fuga Galliæ,
Cui laurus æternos honores
Cressiaco peperit triumpho.
Insigne lumen! Te quoque concinam
Henrice victor; Sequana vortices
Volvit minores, dum recepta
Gallia te dominum veretur,
Frustra rebellis. Nec pietas tua
Oblivioso tempore conditur,
Henrice noster; tu Minervæ
Auspicio meliore palmas

Felix tulisti : stat domus, ingenî
Fecunda nutrix ; floret adhuc tibi
Etona, Musarum recessus,
Regificæ monumenta dextræ.
Et te superbam Marte, vel otio,
Elisa, dicam ; seu dominam maris
Te sensit Hispanus, fugatâ
Classe dolens, minuitque fastus
Vix una sospes navis ab ignibus ;
Seu læta te commercia cœlitus
Nôrunt patronam, dum fluebant
In Britonum cumulata portus.
Tibi perennes, Anna, tibi memor
Nectem coronas ; te Rhodanus celer,
Te novit Ister ; te tonantem
Flandriaci tremuere fines.
Quæ facta ! laudis quæ patet area !
Dum Marte vindex Malburius furit,
Urgetque successu per hostes
Usque novo sua victor arma.
Nec indecorè tu, dolor ultimus
Nobis, latesces : plenus honoribus
Rex, plenus annis! Ut ruinas
Gallia cum sociis inanes,

Iberque jurans in nova fœdera,
Regno parabant; protenus impetum
Fidens retrorsisti Britannis
Militibus, facilique Divo.
Te, sancte Georgi, Musa superstitem
Diu celebret, te patriæ patrem;
Nectatque olivæ clariores
Pacifico capiti corollas.

Αὐτίκα δίζητο ῥόον ὕδατος.

A. D. 1765.

.....

ARCANOS lympharum ortus, quo fœdere guttæ
Se glomerent, pleno queîs lapsa e fontibus alveô
Flumina montanis, volvantur ad æquora cursu
Perpetuo, semper conferta, perennia semper,
Phœbe canas, Sophiæ Deus idem, et carminis Auctor.
Sequana principio, Rhenusque argenteus, et qui
Mille lavat rapido populos septemfluus æstu
Danubius, Volga, et Tiberini fluminis undæ,
Tuque etiam, Thamesine Pater, laticesque fluenti,
Orellana, tui, atque omnes, quocunque sub axe
Dimanant, altis descendunt montibus amnes.
En, ut arenoso lymphæ diffusa cubili
Vena fluat; dubio per saxa obstantia cursu
Vix primum luctatur, et ancipiti Labyrintho
Dat strepitus, dum cognâtis se jungat aquarum
Particulis lacrymisque soli, varioque vapore
Profluat exundans; retinacula solvit aquosâ
Vi terræ, ruptæque means per viscera glebæ
Radit iter collecta, suisque canalibus errat.
Protenus at tepidi pennis liquefacta Favonî

Densa nivis moles se solvit, et arcta remisit
Spiramenta gelu; descendit collibus altis,
Præcipitique ruit cumulo præruptus aquæ mons:
Nec mora; finitimi dant vectigalia fontes
Auxilia, et pleno lympharum exauctus honore
Volvitur ingentem fluvius tumefactus in alveûm.
Quid verò humanis Natura expandit ocellis
Majus inexhaustis æterni fluxibus amnis,
Qui menses per mille, et secula mille, tenore
Uno eôdemque undas volvit, longumque fluendi
Curriculum tenet? unde adeò tam plena supersit
Copia, perpetuo quæ flumina jugia Nilo
Suppeditet? quis ductus aquæ saturare Garomnæ
Immensum desiderium, riguosque valeret
Danubii complere sinus, vel Thamesis urnam.
Occìduæ portas lucis simul Hesperus aureàs
Clausit, et æquoreo fessos sale lavit Apollo
Quadrupedes, tenuis se sublevat humor, et æquor
Leve supervolitat, dum fuscâ turbinis alâ
Vectus in excelsi rorantia culmina montis
Diffundat nebulam æquoream crassosque vapores.
Mox ubi duram hiemem, et Borealia frigora sentit,
Densantur, quæ rara modò; et, quæ laxa, cohærent:
Tum gravidum pluviæ et concreta coagula nimbi

Humorem accipiunt, qui lento aut glutine roris,
Aut gelidus crebro cadit impete grandinis imber.
Si pateant parvæ campi per hiulca cavernæ,
Hospitium undarum; tenues ingressa meatus
Gutta liquens, bibulæ per rara foramina terræ
Insinuat sese furtivo lubrica lapsu
Paulatim; in graciles fusus ceu corpore venas
It sanguis, totique facit commercia moli.
Rara diu angustæ subiens spiracula glebæ,
Per rimas clivorum, et cæca in montibus antra
Irrepit; donec summi penetralia fontis,
Lympharumque domos, undæque udas apothecas
Perveniat, scatebrisque exceptum immisceat imbrem.
Fontis ubi, æstivo pene exsiccata calore,
Vix riguos volvens latices, bibit unda recentes
Thesauros pluviarum, et aquatica supplementa,
Per ripas dudum arentes, lectosque relictos
Scindit iter vitreum; puris læta arva fluentis
Fecundat, laticesque urget per rura perennes.
Has causas pluviorum, arcanaque vincula, fontes
Quæ junxere mari, humanis seclusit ocellis
Alta diu nubes; veteres finxere poetæ
Naïadas, Nymphasque; illarum fertur ab urnis
Profluxisse amnes; illis gratissima cura

Tenuia per rectos deducere flumina sulcos,
Squamosum servare pecus, vitreisque sub antris
Purpuream stratas per humum, frondentia patris
Oceani canis intexere serta capillis.
Mox ubi divinâ diffulgens lampade veri
Dispulerat longæ tenebras Sapientia noctis ;
Arcanas leges fluviorum, atque avia vincla,
Unde salutiferas mittat mare fontibus undas,
Integra mens hominum inspexit : nam fertilis amni
Nubibus irriguis exudatoque vapore
Pabula suppeditat pontus, cunctisque vicissim
E fluviis reducem et puram salis accipit undam.

HORTUS UBI.

A. D. 1775.

.....

AURA, quæ pennâ volitas odorâ,
Et polos flatu reficis, fovesque
Spiritu mulcens tepido soluti
Gramina campi;
Per meos fines viridesque plantas
Transeas tractu levis, et roseta
Summa vix libans, recrees amicis
Flatibus hortum.
Nec tuum sævis Aquilo procellis
Spiritum turbet, neque pestilenti
Polluens cœlum vitio calores
Misceat Auster.
Sic odoratis tibi fragret hortis
Copia; hinc cursu Nabathæa carpas
Tura, et exhalet tibi suavis haustus
Penna Sabæos.
Tuque (cui plumis velut humor udis
Defluit sensim, malè pertinacem
Temperans terram, tenuique nutrit
Intima succo)

Imber, in nostrum properes viretum:
Non graves qualis moveas tumultus,
Cùm ruens stratas segetes aquarum
Diluit agmen.
Sed lacûs qualis liquidi quietum
Commoves vitrum, cadis et minutâ
Depluens guttâ, strepitante leni
Murmure quercu.
Imber, huc mitis properes; anhelum
Flora jam pandit gremium, caputque
Admovet terris sitiens, tuoque
Languet amore.
Phœbe, qui subter gelidos recessus
Permeas terram malè fructuosam,
Vividis pascens radiis inertis
Viscera molis;
Tu meum visas moderatus hortum,
Igne nec flores nimio peruras,
Quos tibi carpens opifex sacratæ
Rite corollæ
Misceam; quot te, calyces odoros
Mane pandentes, reducem salutant;
Teque subducto, capita obserati
Prona recondunt.

DOMUS COMMUNE PERFUGIUM.

A. D. 1765.

.....

ACCIPITREM fugiens et adunci vulnera rostri,
Quà lateat, turrim Chaonis ales habet:
Præsidium pecori pariter, pecorisque magistro,
A grege furaces arcet ovile lupos:
Cerva fugæ fidens spissæ petit avia silvæ,
Excludunt celeres antra nemusque canes:
Colla plicans anguis repetito saucius ictu
Contrahit in tenuem lubrica membra cavum:
Utque suis etiam tenebris secura fruatur,
Sub terrâ exiguum talpa cubile fodit:
Mus breve rodit iter, felemque eludit hiantem;
Tuta colit pigras rana paludis aquas:
Pendula sublimem sibi nectit aranea sedem:
Florilegam tenuis cella tuetur apem.
Perfugio non ulla carent animalia, nidum
Ales, lustra feræ, flumina piscis habet.
At meliora decent homines penetralia; fausti,
Quos luxu recreant splendidiore, lares.
Hibernus nemori quoties impendeat imber,
Pastor amat nitidæ limina munda casæ.

Mercibus amissis nautam lacerâque dolentem
Puppe beat tacito parvula villa sinu.
Urbano procul a strepitu, rerumque procellis
Irriguâ dominum valle moratur ager.
Si quis adest hospes nivibus vexatus et imbre,
Huic aperi patulas, incola blande, fores.
Sacra Jovi domus est; adsit reverentia Divo;
Hospitii læsam puniet ille fidem.

RAPIDO PARITER CUM FLAMINE.

A. D. 1777.

.....

UT fluidus circùm subtiles explicat aër
Particulas; qualis patiens moderaminis ultro
Contrahitur; spatio rursus quali impete tendit
Liberiore frui; quâ vi durissima cuncta
Permeat insinuans (neque enim solidissima ferri,
Marmoris, aut auri interno caret aëre vena)
Naturæque agitat tenuis circùm undique molem,
Expediam: Sophiæ juvat ultro accedere fontes
Intactos, rerumque novas expandere causas.
Principio cingit totam circumdata terram,
Assiduéque hærens orbem lanugine vestit
Particulis compôsta suis, penetrabilis aura.
Hinc Lunæ radiis, hinc Phœbi ritè reflexis,
Splendescit totum diffuso lumine cœlum.
Tenuia quinetiam frustra corpuscula frigus
Invadit, sævâ durescere nescia brumâ.
Scilicet ætherei fundit se spiritus ignis
Undique, discretasque vetat coalescere partes;
Attamen hoc fluidum, quæ dicitur aura, coërcet
Vis diversa aliis: gravitate impulsa deorsum
Densa coit, graviorque soli complectitur æquor:

Rara fluit suprà, cœlumque levissima tangit.
Sæpe etiam videas magno se expandere motu
Aëra, et admotâ penitus rarescere flammâ;
Latius hinc implet spatium, primisque recusat
Finibus includi, gelidæ tunc impete vasto
Particulæ circùm incumbunt: hinc ordine flabra
Ventorum strident, quassumque per aëra sævit
Natura, et justo cupiens examine totum
Suspendi, varias partes æquare laborat.
Nec tam contractis elementa coërcita normis,
Quin sæpe alternâ lege hospitiisque fruantur,
Quin sibi sæpe undam sinat immiscerier aër
Æstivus, pariterque unum coalescere in orbem.
At tandem latices hiemalia frigora densent,
Et quoniam superas regiones rarior aura
Frigidiorque fovet, coëunt circum undique aquäi
Particulæ; varia hinc inter se vincula nectunt,
Collectasque implent nubes; tum liquitur aër,
Præcipitesque cadunt guttis subtilibus imbres.
Sin guttas denset frigus, simul inde globosa
Concrescit grando; sin nubes ipsa geletur,
Tenuia descendunt specie fragmenta nivali.
Quid loquar, ut vitam cunctis animalibus aër
Præbeat, ut vegetas tueatur spiritus herbas?

Scilicet humanum corpus fovet aura salubris;
Deinde supervacuos removet, purgatque vicissim
Humores: aliàs nimiùm saturata veneno
Tabific o arderet moles, et noxia corpus
Flamma nimis premeret, letumque inferret acerbum.
Namque ubi viscosus fluit ad præcordia sanguis,
Ægrotumque hebetat, venâ tardante, cerebrum;
Inde latens aër paulatim e corpore virus
Elicit invadens pulmonem; hinc purior artus
Sanguis obit, tenuisque suo delabitur alveô:
Hinc etiam citiùs redeunt in pristina vires,
Et rediviva salus justo moderamine floret.
Cùm tamen aura gravis vario spiramine fœdum
Virus alit, cupidè foliis hoc imbibit aër.
At sæpe incaluit morbi gravida aura veneno,
Infecitque polum; circùm contagia dira
Sparguntur, neque temperies purissima cœli
Victricem reprimit pestem; furit illa, minansque
Exitium, vitiat funestâ tabe medullas.
Hinc pecudum atque hominum morientia corpora passim
Strata jacent; neque fas medicos avertere succos
Triste malum, donec paulatim abolere furorem
Cœperit ultro aër, et morbi causa recedat.

TURNUM AD CERTAMEN ITURUM ALLOQUITUR LAVINIA.

A. D. 1764.

.....

UT gravia optato dirimat certamine bella,
Provocat Iliacum Turnus ad arma ducem.
Induitur, dum jungit equos auriga, coruscum
Ære caput, nitido cingitur ense femur.
At mala fatalis præsumens omina pugnæ,
Femineos aperit regia nympha metus.
" Hei mihi! fatidico trepidum cor palpitat ictu;
" Intima letalis concutit ossa pavor.
" Ibis? et o miseram cui me, morituræ, relinques?
" Ibis ab amplexu raptus ad arma meo?
" Ergone, dic, nostri te tam citò tædet amoris?
" Siccine pollicitam stat violare fidem?
" Quò ruis? imparibus malè concurretur in armis;
" Estne tibi binis hostibus apta manus?
" Quam tamen ex isto speres certamine laudem?
" Quis tibi de profugo, Turne, triumphus erit?
" Iliaco quem vix elapsum ex igne, vagantem
" Per mare, per terras, plurima jactat hiems.
" Finge (quod eveniat!) victum certamine; victo
" Expediet facilem Cypria Diva fugam.

" Hunc, priùs adverso superatum Marte, trementem
" Sustulit objectâ nube per arma Venus.
" Sin tua, quod vereor, (nullum sit in omine pondus)
" Deficiat longo fessa labore manus:
" Non aderit tibi Diva parens; non regia Juno,
" A nece nec paribus surripiere dolis.
" Vera nimis de te moriens prædixerit hostis,
" Pallantis proprio funere fata lues.
" Ergo, quæ teneros tibi sum desponsa per annos,
" Nupta peregrino linquar habenda viro?
" Haud ita; fata vetant, et amor; nec Turnus inanes
" Esse sinet, nostro motus amore, preces.
" Si tibi nulla mei, miseri sit cura parentis;
" Extremum fati sustinet ille diem.
" Turne, precor maneas; caram ne projice vitam,
" In quâ sola mei spes, patriæque salus:
" Aut, malè quos infaustus Hymen accenderit ignes,
" Ipsa meo videar supposititra rogo."

EXTERNO COMMISSA DUCI.

A. D. 1765.

.....

CREDIMUS ob pulsos cœlesti ex arce gigantas
Festa triumphantes constituisse Deos:
Non tamen ætheriâ tantùm lætatur in aulâ
Incolumi plaudens turba beata Jovi;
Externo quantùm servata Britannia rege,
More licet fastos simpliciore colat.
Qualis, remigioque carens et funibus orba,
Pinus in iratis fracta laborat aquis;
Gens ea talis erat, quam tu, Vilhelme, labantem
Ausus eras validâ sustinuisse manu.
Scilicet illa diu crudelem exosa tyrannum,
Indignansque ferâ religione premi,
Vindictæ grave versat opus; sibi regius exul
Præcipiti statuit consuluisse fugâ.
Talis Agyllinas fugiens Mezentius arces,
Quas aliis pœnas struxerat, ipse tulit:
Talis ab ætherio pulsus Saturnus Olympo
Dicitur in Latiis delituisse jugis.
Rege tamen pulso jacuerunt sceptra, ruentis
Nec quisquam imperii ferre valebat onus.

Externum petiisse jubent oracula regem,
Nec posse Angliacas sceptra tenere manus.
Audiit, et patrias linquens Vilhelmus arenas
Turgida non lævâ vela tetendit ave.
Ut latè ingentes scopulorum albescere tractus
Vidit, et æquoreo litora cincta vado:
Jam navem appellens terræ, trepidantia cœpit,
Non tamen imbellis, corda subire pavor.
Panduntur portus; clamorem ad sidera tollit
Ingeminans hilares festa caterva sonos.
Haud secus Ænean fugientem incendia Trojæ
Accepit placido debita terra sinu:
Haud secus extorris patriâ quæsivit Acestes
Litora nativo fertiliora solo.
Illa quidem, Angliacis quæ te, Rex, attulit oris,
Semper erit binâ laude canenda dies.
Ante dies nobis nequaquam ingloria; posthac
Clarior adventu semper habenda tuo.

CHORUS EX EURIP. HIPPOLYTO, V. 733.

A. D. 1764.

.....

O SI volatu rupis in abditos
Ferar recessus! me Deus impetu
Non usitato ponat inter
Aligeras volucrum cohortes.
Ibo frementis litus ad Hadriæ,
Padique fluctus; stillat ubi dolens
Electra ramus, tristiumque
Heliadum lacrymæ rigescunt.
O si per hortos Hesperidum levi
Sublimis alâ pomiferos vehar!
Neptunus haud illic phaselo
Cæruleum patefecit æquor;
Sed clausit undas dissociabiles,
Cœlique finem terminat arbiter,
Dum fulcit indefessus orbem
Ætherium, grave pondus, Atlas.
Quà rore lambens ambrosio Jovis
Cubile manat fonte latex sacro,
Fructuque delectat beato
Cœlicolas opulenta tellus.

O Cressa navis candida linteo,
Quæ per sonantis flumina Nereos
Salumque reginam vehebas,
Cùm patriæ miseranda portus
Fugit quietos; nuptaque Thesei,
Inauspicatâ conjugii face,
Mutavit infaustum dolorem
Lætitiâ. Jacet illa bino
Oppressa luctu; scilicet omine
Venit sinistro litus ad Atticum,
Et fune contorto phaselum
Munychiis religavit oris.
Hinc luctuosum saucia spiculum
Devota magnæ victima Cypridos
Dum sentit, incestos amores
Corde fovet tacitumque vulnus.
Mox inquietis victa doloribus
Eburna cinget colla ligamine,
Nodumque de lecto jugali
Letiferum moritura nectet;
Fatoque cedens, non muliebriter
Infanda vani tela Cupidinis
Refringet, et laudes honestâ
Perpetuas nece vindicabit.

ADMONITU LOCORUM.

A. D. 1756.

.....

INTER Hyperboreas sedes terrasque Britannûm,
  Quà vix prompsit adhuc sera Thalia melos,
Cur jubeor Musæ peregrinæ tortor ineptus
  Italicis frustra desipuisse modis?
Aspice, ut invitis oneretur fructibus arbos,
  Radices mutilas questa polumque novum;
Quam dura agricolæ manus in sua transtulit arva:
  Ut procul a patriâ maneat exul humo!
Versibus, en, nostris sic Musa exotica languet;
  Heu! non Angliaco convenit illa solo.
Fortunate puer, qui litora sacra pererras,
  Et loca Pierio non aliena choro.
Quà serpit placidus cantato Mincius amne,
  Et Tiberis volvit nobilitatus aquas;
Hìc ultro inspirant rura ipsa poëtica cantus,
  Musaque dat faciles non operosa modos.
Qua juga non ipsi tollunt ingloria montes;
  Nec saltus gelidi, nec sine vate nemus.
In numerum liquido trepidat modulamine rivus,
  Asserit et laudes fons memor usque suas.

Hîc Naso argutos olim narrabat amores ;
Audiit hæc numeros silva, Tibulle, tuos.
Nunc etiam memores servant loca nota Camenæ,
Et latet in dumis jam pharetratus amor.
O Deus, o si quis magico me litore sistat !
Natale Aonidum fas sit adire solum !
Vocales inter silvas, argutaque saxa
Indigenam sumat nostra Camena lyram ;
Perque sacras valles divinaque rura, canentis
Accipiat nostrum turba canora melos.

AD FREDERICUM SECUNDUM, PRUSSIÆ REGEM.

A. D. 1758.

.....

QUIS concitatum me rapit impetus
In alta tollens? Huc grave Pindari
Fer, Musa, plectrum, quo sonante
Cœlicolum stupuere corda,
Victorque cantus hausit Olympicos,
Dis æquus ipsis: ut meritò tuas
Sublime surgens altiori
Voce canam, Frederice, laudes.
Mirande Princeps! nam neque carmina
Fastidioso lumine respicis,
Cultosque Musarum labores:
At trepidum simul acer hostem
Gravesque Regum contuderis minas,
(Dum victor iræ spicula vindicis
Deponit, ingratique miles
Deliciis requiescit otî)
Tu fila pulsans suaviter aurea
Jucundiori militiam vice
Solaris, et regale carmen
Pierio modularis antro.

O magne Vates! O duplici caput
Ornande lauro! Talis ubi hostium
Fregisset ausus insolentes,
Marte ferox, tamen inter arma
Movit perito pollice barbiton
Lesbous ultor, nec sine gloriâ
Commisit audax impiorum
Fata gravi resonanda plectro.
Te nostra tali digna silentio
Miratur ætas dicere: nec minùs
Sensere Gallorum cohortes
Austriadumque truces catervæ,
Quid marte posses. Sed mea deficit
Non æqua tantis Musa laboribus:
Tu, magne Vates, tu triumphos
Ipse canes meliore plectro.

DOLENS INSOLABILITER.

A. D. 1758.

.....

Si piæ fletos revocare manes
Lacrymæ, duri medicina casûs,
Si graves nôrint animi dolentis
Fallere curas;
Quicquid, Hispano domitore, tellus
Inda thesauri peperit, lubenter
Omne mutarem lacrymâ vel unâ.
Sin neque fletu
Mollior, tristes Libitina questus
Surdior fluctu maris inquieti
Audit, et risu miserorum amaro
Vulnera acerbat
Parca, sit flendi modus. Ah! quid ultra
Debitum fato puerum reposcis
Impotens; quid corda juvat perenni
Frangere luctu?
Vidimis multis decorata templis,
Vidimus, siccis oculis, jacere
Oppida eversasque gravi ruinâ
Funditus urbes.

Tu levem fletu pueri favillam
Spargis, affixus tumulo; Deosque
Tristis incusas, pater, et recludi
Nescia fata.
Quid juvat pictæ miserum tabellæ
Immori, attentisque oculis notare
Membra? sic stabat, pia sic rubebant
Ora; paternos
Sic in amplexus cupidè ruebat;
Prata cur nati celebrata ludo
Quæris? et tristes, ubi considebat,
Arboris umbras?
Illa, brumales simul Eurus urget
Acrior nimbos, viduos caducis
Floribus ramos capitique raptos
Luget honores;
Mox novis ridet foliis decora:
Nos, viri fortes dominique rerum,
Qui graves magni jaculamur ausus,
Nos simul atræ
Percutit leti manus, in silenti
Condimur terræ gremio; et renasci
Nescios somnus simul urget ingens
Perpetuusque.

Quin graves tandem, pater, irritique
Desinant luctus ; sine, multa furtim
Pectoris vulnus malè sauciati
Leniat hora.

QUAM SCIT UTERQUE LIBENS, CENSEBO, EXERCEAT ARTEM.

A. D. 1754.

.....

QUOD Genius natale comes qui temperat astrum
Exercere jubet, quisque sequatur opus.
At vetitam quisquis temerarius excolit artem,
Explicat adverso carbasa plena Noto.
Scilicet haud rigidis pendebit sentibus uva;
Nec feret Idalias aspera spina rosas.
Quis priùs æquoream præceps se immittat in undam,
Scindere quàm liquidas pectore nôrit aquas?
Aut, nisi qui doctâ tumidas regat arte procellas,
Audeat insanis pandere vela Notis?
Tullius eloquio moderatur frena Senatûs,
Fundit at Aoniis irrita vota Deis.
Rostra fugit, facilesque vocans in vota Camenas
Pascua Virgilius, rura, ducesque, canit.
Tractet acus virgo, et nitidos premat ordine crines;
Bella viri moveant, bella movenda vivis.
Ingrederis, nova miles, opus Martisque procellas,
Et teneras onerat cassis æëna comas;
Sed Diomedeos male sentis, Diva, furores,
Mortalique doles vulnera facta manu.

Hæc non conveniunt imbellibus arma lacertis,
  Dextera lanificam dirigat illa colum.
Sæviat armipotens medio in certamine Mavors;
  Belligeræ decoret Palladis hasta manum;
Sed meliùs tibi sunt curæ connubia; amoris
  Spicula, sunt dextrâ tela gerenda tuâ.
Tura tuis supplex aris imponat amator,
  Quæque suis placuit nympha venusta procis.
Quique triumphato decessit ab hoste, tropæa
  Suspendat Marti sanguinolenta tuo.

DEFERAR IN VICUM.

A. D. 1759.

.....

DUM breves te delicias Poëtæ
Carpit æternæ manus atra noctis,
Grata nec Pallas, propriamque Phœbus
Respicit artem;
Fas sit, infelix liber, (ingruenti
Si quid oppressus recinam dolore)
Fas sit eversos celeri ruinâ
Flere triumphos.
Te priùs cultu vario decorum
Vidit exultans Juvenis, novasque
Gestiit Pindo placidisque Musis
Addere lauros.
Quid tamen nostræ valuere curæ?
Quid, quòd et carmen vigilesque cantus
Audiit lento vaga Luna curru?
Nam neque versu
Pulchrius si quid nituit, nec omnis
Protegit scribæ dominique cura,
Triste quin tandem doleas sepultus
Pulvere fatum?

Musa Getulæ furias leænæ,
Musa Neptunum solidasque rupes
Leniit; sævi sonitu canoro
Flectere vates
Cerberi novit caput. O laborum
Irritos fructus! mea nec maligni
(Turpe) sutoris, vetulæ aut rapacem
Carmina dextram
Leniant. Dum te, mea cura, caupo
Perfidum ridens bibulo ministrat
Rite convivæ. "I, tubuli Latino
"Carmine fumum
"Suscites," clamat; neque te videbo
Amplius, fractis nisi fors fenestris
(Triste solamen) laceri supersint
Membra Poëtæ.

MOVEAT CORNICULA RISUM
FURTIVIS NUDATA COLORIBUS.

A. D. 1756.

.....

LIBERA cùm vacuis circùm spatiatur in arvis,
Militat et festo læta juventa die,
Furtivâ plumâ atque alienis splendidus armis
Gestit inassuetâ veste nitere puer:
At simul occiduis lassatum in tecta reducit
Ridiculi claudens sol breve martis opus;
Cogitur, heu! positas sumpsisse inglorius artes,
Signaque militiæ deposuisse suæ.
Sic ubi Palladiam jubeamur inire palæstram,
(Heu non eloquio turba diserta suo)
Lassantur mutilis veterum sermonibus aures,
Et cava furtivis ingemit aula sonis.
Jam Drances, jam Turnus ovat: scripsisse fuisset
Gloria, quos pudor est sic recitasse, modos.
Nequicquam ingenti tonat Hannibal ore; magistri
Qui timet, eloquio deficiente, minas:
Ore ferox tamen, et Latio insultare videtur;
Et per Cannenses fertur inultus agros.
Vel quid amor? misero quid profuit ira Philippo?
Hunc licet accipiat sella superba patrem.

Non talem Pellæa fatebitur aula tyrannum,
  Cum tumidâ fugiens voce peribit honos.
Quid Perseus? vel quid Demetri luctus inanis,
  Ore pias lacrymas flebiliore ciens?
Cùm trepidus medio Princeps sermone fatiscit,
  Nî monitor solitam voce miniſtrat opem;
Oblito fratrisque doli, patrisque minarum,
  Altera soliciti causa pudoris erit.

SIC EAT QUÆCUNQUE ROMANA LUGEBIT HOSTEM. ———————

A. D. 1762.

.....

PRIMUS ovans, raptisque insignis Horatius armis,
Tela gravi quassans ibat aëna manu.
Quem soror, ut muris venientem expectat ab altis,
Fila trahens lentâ desidiosa colo,
Vidit, et agnovit cæsi procul arma mariti,
Agnovit croceam (fecerat ipsa) togam;
Ipsa dedit: manibus fusi cecidere remissi;
Quique fuit, roseus fugit ab ore color.
Exilit inde furens, rapidoque ita fervida cursu
Evolat, ut magno concita Baccha Deo.
Et procul; " O nec adhuc fraterno nomine dignus,
" Hæccine fers oculis obvia dona meis?
" Anne pios ultro cupis irritare dolores,
" Et sponsæ occisi porrigis arma viri?
" Hei mihi! sacratam tibi castæ ad Palladis aram
" Sum prece turicremos devenerata focos,
" Ut reduci possim circumdare brachia fratri;
" Heu! nimis ignaras audiit illa preces.
" Vivit enim fratrer; jacet udâ abjectus arenâ,
" Et fatre, et vitâ carior ille meâ.

" At tibi Dî meritas sumant de sanguine pœnas,
" Si qua manet læso vis pietasque polo.
" Qui ferro tuleris vetitoque (immane) duello
" Rumpere, quæ fidus fœdera sanxit Hymen.
" Redde virum sponsæ! connubia redde sorori!
" Hei mihi! quò miserum nescius error agit!
" Ille procul gelidi friget sub tegmine cœli,
" Fusus ad hiberni tristia flabra noti.
" Dignus at ille tamen, cui sceptrum dextra teneret,
" Quem tremeret summis Roma superba jugis.
" Quid patriæ mihi vanus honor? Quid gloria regni?
" Me miseram! luctus integrat illa meos."
Cui frater (neque enim modicâ jam percitus irâ
Audiit insanas increpuisse minas)
" At tibi, quam generi fisam et juvenilibus annis
" Non pudet Albanis indoluisse malis,
" Ipse necem inveniam: magni vocat umbra mariti;
" I, sequere egregium fida puella virum!"

CHORUS EX EURIP. HECUBA, V. 444.

A. D. 1754.

.....

AURA, per fluctus tumidos carinas
Deferens, quò me miserùm, Aura, duces?
Quâ domo posthac mala servitutis
Dura dolebo?
Doricas visam peregrina terras,
Thessalosve agros, ubi volvit undas
Prata per læta Apidanus, benignoque
Irrigat amni?
An petam jussu domini superbo
Insulam, ramos ubi palma densos
Sponte Latonæ viridisque laurus
Protulit umbram
Consciam partûs? ibi Delienses
Virgines inter, citharâ tuosque
Aureos arcus celebrem aureamque,
Cynthia, vittam?
Aut equos veste in croceâ Minervæ
Currui jungam? Aut referam Gigantum
Ausa, quos magni Jovis ira flammâ
Vindice fudit?

Hei mihi! quò nunc abiere nati?
Hei mihi! quò nunc miseri Parentes?
Concidit Divôm domus, inclytæque.
Mœnia Trojæ.
Me nova, heu! tellus, Asiâ relictâ,
Cernet ancillam, egregiâ creatam
Stirpe; servitum generosa Graiis
Matribus ibo.

Φοῖβος πολίεσσι φιλήδει
Κτιζομέναις ——— A. D. 1755.
.....

QUALIS ad extremum Tanaim et Mæotidos oras
Tartariæ horrentes lustrat vagus incola campos;
Qualis Arabs, cui certa domus, certique penates
Ignoti; undantem sitiens qui tentat arenam,
Æternumque novos fertur rudis hospes in agros:
Haud aliter primæva hominum gens castra ferebat
Mobilia, incertasque domos: non tecta, neque urbes,
Non delubra Deûm sublimibus alta columnis
Splendebant: latè tum valles castra profundas,
Implebantque novos tentoria barbara colles.

At simul ingenium primas excuderat artes,
Gens edura virûm campestria tecta relinquens
Oppida molitur. Jamque horrida mœnia crescunt,
Incultisque faber complet rudis ædibus agros.
Mox opus artificum primorum artemque polivit
Usus, et e terrâ templorum surgere moles
Paulatim cœpere, et duris montibus orta
Marmora cælatis splendescere cæsa columnis.

Tempore quo penetrans nebularum limina Belus
Affectâsse domos fertur Jovis; ille minaces

In cœlum struxisse arces, ille æthera summum
Dicitur atque audax tetigisse cacumen Olympi.
Tum quoque per latos tellus Ægyptia fines
Marmoreas pandebat opes : ea prima vagantem
Barbariem artificum, et certis compescuit artem
Legibus, harmoniâque decora palatia cinxit.
En, veteres Thebarum arces ! it flumine Nilus
Attonito, spectans vastas circùm undique turres,
Atque coronatas miratur marmore ripas.
Hinc Graii didicere domos, hinc ponere templa;
Ecce, Corinthiaco ut niteat splendore theatrum !
En, cælatum opifex marmor teretesque columnas
Curvatis foliis patuloque ut obumbrat acantho !
Gaudet Ioniacos cultus domus ipsa Deorum
Induere ; exornatque modestia Dorica fanum,
Compositè simplex, et majestate verenda.
Ipsa aureas nubes, ipsa arcem Pallas Olympi
Linquit, et ornatas cœlo præponit Athenas.
Sed quò tam subitò Graiorum evanuit ordo ?
Quo decus Italiæ ? rabies en, Gothica pulchram
Simplicitatem insana aufert, artesque modestas
Eruit, inque vices immania templa reponit,
Usque laboratas moles, tristesque cavernas.
At cessit tandem iste furor ; veneresque Pelasgas,

Romanumque decus miratur cultius ævum ;
Harmonia Angliacas jam visit amabilis oras :
Tandem rege suo haud indigna palatia surgunt ;
Nobiliore Deus colitur fano ; undique pulchro
Ordine templorum splendens Augusta fatetur,
Quale decus famamque Inigonis debeat arti.

Νῦν μὲν ἔτως, πάλαι δὲ ἐν ἄλλο σώματι
ἐφαντάζεο.

Cercopithecus Corinnæ. A. D. 1755.

.....

PERLEGE versiculos, nec dedignare, Corinna,
Quos signare notis abditus audet amor.
Dextra tibi scripsit, quam mallet lingua, salutem,
Dicere; non votis sufficit illa meis.
Nec, queîs, Nympha, precor, te Cercopithecus adire
Tentat, inauditos sperne, Corinna, modos.
Horrida ne facies, ne duræ murmura vocis,
Ne moveat bilem cauda ferina tuam.
Non sum qualis eram; facies mihi dignior olim,
Et fuit in nostro gratior ore sonus.
Tu tamen, o virgo, longi miserere laboris,
Atque animæ casus disce, Corinna, meæ.
Jam decimum cœli per signa revolvitur ævum,
Et messes reboans area mille tulit;
Ex quo flaventes peragravi Gangis arenas,
Et Samio vigui doctior arte sopho.
Meque ibi, quò volitet divinior aura superstes,
Quasve ineat socio corpore missa vias,
Edocuit Genius; sensus dedit ille petenti,
Quas potuit Lethes non abolere liquor.

Ut quocunque ferar, quæcunque in corpora migrem,
Perpetuas recolat mens memor usque vices.
Hæc eadem, ah! quoties humanis artibus exul
Hospitibus latuit purior aura feris.
Cur referam quid equus tulerim, quid in æquore piscis?
Nunc rex, nunc parvo sub lare sutor eram.
Et ne te nimiùm discrimina nostra morentur,
Ah! miserum recolas, dura Corinna, procum.
Ille tuas mediâ pulsans sub nocte fenestras
Implebat querulis compita lata sonis:
Ast hieme invisâ, et letali percitus Euro,
Occubuit formæ victima, Nympha, tuæ.
Ille ego, pallentes ubi liquit spiritus artus,
Lustrabam Æthiopum comicus hospes agros.
En, me bis tua vincla premunt, gratissima vincla,
Participem lusûs, participemque tori.
Quæque olim petii, nunc ipsa ultro oscula donas,
Oscula zelotypis invidiosa procis.
Ah! noti ne cesset amor; ne gratia cesset;
Mutatum foveas usque, Corinna, virum.

Ὁ τῶν Ἰδιωτῶν βίος ἄριστος.

A. D. 1754.

.....

TU studio immoreris; vigilesque ad scrinia curas
Triste micans mediâ nocte lucerna videt:
Ipse meos libris oculos læsisse recusem,
Et veteres pernox evoluïsse sophos.
Si miser ipse meo demum pendentia tergo
Respiciens, discam conscius esse mei.
Heu! puer, in studium auspiciis ingressus iniquis,
Perplexum, incepti nescius, urget opus.
Attoniti in variis sensus ambagibus hærent,
Dum cerebrum exagitat tristis inane labor.
Non mora, non requies operi; cæcasque per artes
Prodere stultitiam sedulus ipse suam est:
Sudat, et alget, avens Parnassi attingere culmen;
At lapsos referunt lubrica saxa pedes.
Infelix iterum nitens, iterum excidit ausis,
Quòque magis vigilat, flet didicisse minus:
Quem puerum duxit studium per inutile Pallas,
Deserit ignarum perfida Diva senem.
Quid tibi profuerit steriles coluisse Camenas?
Quos miseræ fructus sedulitatis habes?

Quid rerum cæcos cupias recludere fontes?
Ingenium exerces in tua damna sagax.
Quàm meliùs vivit, qui nil molitur ineptè,
Nec sibi discordes optat inire vias.
Non studio terræ motus exquirit inani,
Nec quid in herbosis dulce, nocensve, locis.
Hic fruitur Lunæ radiis, nec sidera credit
Adversa in terras ferre, timetque, malum.
Anxius incertos nolit præsumere casus;
Nam satis est, præsens quod ferat hora, pati.

*HIS SALTEM ACCUMULEM DONIS, ET FUNGAR INANI MUNERE.

A. D. 1756.

.....

DUM puer tu, deliciæ tuorum,
Visis infernas novus hospes agros,
Languido quà Styx tenebrosa circùm
Gurgite serpit;
Quò vager solus? mihi nec sub umbrâ
Arborum gressus juvat, aut sedile,
Perfidos juxta quod iniqua cursus
Dirigit unda.
Fortè si nostros inimica gressus
Callis adducat prope litus, ò te
Rursus hìc cerno, tua rursus undis
Surgit imago.
Jam meos urget nova causa luctus,
Occupat mentem novus horror, et mox
In genas furtim lacryma intuenti e-
rumpit ocello.
Sed quid hic nobis dolor, uberesve
Lacrymæ prosunt, pius aut parentis
Mœror? heu! surdâ Libitina questus
Accipit aure.

Illa per terras tacito salumque
Labitur gressu, neque visa calles
Lustrat obscuros, et iniqua certam
Dirigit hastam.
Hâc pedem infaustâ celerem morata
Constitit ripâ, dedit et nefando
Flumini jussum; simul unda rauco
Murmure surgens
Volvitur præceps, tumidosque fluctus
Urget, (ah! ludi puer insolentis
Desinas) urget, miserumque nigro in
Vortice mergit.
Jam sepulcralis tibi parva busti
Panditur sedes; ibi jam calentes
Debitâ spargam lacrymâ favillas
Tristis amici.

SOPITOS DELUDUNT SOMNIA SENSUS.

A. D. 1755.

.....

SOMNE, precor, Morpheuque, et tu, Cyllenia proles,
Qui virgâ et Stygiis lumina claudis aquis,
Occultas animi vires aperite; quis illum,
Dicite, (nam scitis) spiritus intus agat;
Corpus ubi opprimitur somno, cum membra diurnis
Fessa ministeriis laxat amœna quies:
Sive ea, corporeas veluti indignata catenas,
Luctetur spatio liberiore frui;
Seu sit lætitiæ, aut luctûs memor ante peracti,
Rursus et hesternum nocte revolvat opus:
Credibile est nostrum lapsos de vertice cœli
Aëra nocturnos pervolitare choros;
Qui magicâ in somnis tangunt *sensoria* virgâ,
Et ludunt miris lumina clausa modis.
Hinc anima agnoscit redivivos læta parentes,
Territa vel raptas plorat amicitias.
Remigio alarum subitò sublata videtur
Ire per ætherias incomitata vias.
Nunc visit tractusque maris, manesque profundos,
Et Stygios tranat flebilis umbra lacus.

Devia nunc lusu per florea rura vagatur,
Quà verna insolito spirat odore rosa:
Gaudia pertentant plusquam mortalia sensus,
Purior est æther, splendidiorque dies.
Miranti solemque novum et nova sidera monstrat,
Quæ colit Elysium, turba beata, nemus.
Verùm anima injusto somni sub imagine pœnas
Pingit, ad ignivomos ire coacta lacus.
Nunc exusta dolet flammis ultricibus ossa,
Nunc plusquam Scythico pectora vincta gelu.
Infixum scopulo furiæ serpentibus urgent,
Pendula vel celeri volvitur umbra Noto.
Territus exclamat; quatit æger anhelitus artus;
Solvitur et medio rupta timore quies.

---- RAPIAMUS, AMICI,
OCCASIONEM DE DIE.

A. D. 1762.

.....

O LIQUIDI quicunque regis Deus ardua cœli
Astra sedens nebulasque super, cui cura diei,
Sternere cui pluviâ atque effusis imbribus arva,
Aut cœli in faciem gravidas inducere nubes;
Cui volucres parent auræ, atque Hyperionis astra,
Nocturnæque vices Lunæ; cui tristis Orion,
Cui pecori Notus et metuendus vitibus Auster:
Nubila claude, Pater, pluviique repagula cœli,
Claude gravi, Deus, obluctantes compede ventos.
Purior et placido Titan et lætior ore
Fulgeat; ah! pluviis illum nec aquosus Orion
Polluat, aut fusis violentior imbribus Auster.
Scilicet aëriis quisquis color, et status, et vis
Particulis, (seu densa levet, seu tenuia denset)
Illa eadem humanam parili regit impete mentem,
Aut ad humum premit, aut leviores tollit in auras.
Ætheris hinc varios crebrosque sequentia motus
Pectora mutantur; timor hinc, et luridus horror,
Iræque, insidiæque, et noxia crimina cordi,
Hinc risus, et mollis amor, facilesque choreæ.

Sic ubi fœda Notus piceis concusserit alis
Nubila, nigrantemque premens densaverit æthram;
Corda gravis stupor atque ingenti pondere cura
Fessa premit super, et demisso pallet in ore
Anxietas, dirusque offensi numinis horror;
Objectæque oculis Libitinæ occurrit imago.
Lumina tunc defixa solo et mœrentia circùm
Cernere erit, tunc ora modis pallentia miris.
Hinc miser Australi depressus corda vapore
Informis leti nodum trabe nectit ab altâ,
Lurida mortiferis aut miscet pocula succis,
Devotumve ultro rapidis caput obruit undis.

Ipsa vices pecora et varios animalia motus
Aëris observant. En, ut mœrentia circùm
Intactas armenta jacent abjecta per herbas;
Ut tacitis deserta rigent aviaria ramis.

Verùm ubi jam verso processerit æthere Titan
Purior, aëriique iterum levis aura Favoni
Ventilat ardentis latè spatia aurea cœli;
Tum tenuis Phœbi flamma, et penetrabilis aura
Mobilium Zephyrorum intus se pectore miscens,
Attenuant, quæ densa modò, et, quæ clausa, relaxant
Spiramenta; recens animat præcordia flamma,
Altior exultat presso sub pollice vena,

Et crebro saliens lætum cor palpitat ictu.
Tum liquidæ cantu voces; tunc apta choreis
Membra juvat risus, juvat ilice subter et umbrâ
Instaurare dapes, et plenæ pocula mensæ.
Tum jucunda quies, medio tum grata sub æstu
Somnia, tum sero dulces sub vespere ludi,
Et pastoralis silvestria carmina plectri.
Quin age, quin oculis lætum circumspice campum
Ruris, et agrestes toto colludere cœtus
Æquore: pars agiles ficto certamine pugnas
Læti ineunt, viridique exercent membra palæstrâ:
Pars (ludis aliena et mollis amantior otî)
Languida odoratis effusi corpora ripis
Pocula purpurei siccant halantia Bacchi.
Aptior at Musis alius, tacitâque reductus
Valle sedet procul, Aoniæque sub arboris umbrâ
Carmina silvestri meditatus rustica plectro
Indigenam cantat Phœbum facilesque Camenas;
Dum circùm gelida antra sonant nemorumque susurri.
Hæc tua numina magna, tuas hæc omnia vires,
Dive potens nebularum et Princeps ætheris alti,
Agnoscunt; nostris, ah! mitior annue votis,
Quæque ferunt parci, cape munera rite, coloni.

NOCTEM ADDENS OPERI.

A. D. 1759.

.....

NOX veneranda redi, totumque per æthera repens
Purpuream claudat gratior umbra diem.
Scilicet amoto melius fulgore diei
Mens poterit studiis apta vacare suis.
Nec Phœbus, quanquam cœlos manifestior ornet,
Luna, tuum novit comminuisse decus.
Tu pariter studiis gaudes succurrere sacris;
Tu pariter medicas dirigis, alma, manus.
Te vocat, astrorum varios utcunque meatus
Ingenio cupiat supposuisse, sophus.
Te vocat et vates, surdi cùm numina Fratris,
Et dubiam frustra solicitavit opem.
Nam neque Parnassi semper juga, nam neque Pindi,
Nam neque Castaliæ flumina blanda patent.
Hinc ego, cui raræ veniunt in carmina vires,
Cui regit errantes nulla Camena gradus,
Irritus Auroram imploro, lucemque fugacem
Conqueror in nugas non satis esse meas:
Conqueror, et molles arcens de pectore somnos
Deductum moveo, nocte favente, melos.

O mihi sæpe vias liceat peragrare serenas,
Securum in tenebris nec vetet esse timor:
Quà nulla ingratos figant animalia passus,
Et sileat nostris aura retenta modis.
Tum si tranquillæ per amica silentia noctis
Aonio fundam non aliena choro,
Numine posthabito Phœbi, te rite celebrem,
Jure tibi grates, Cynthia pulchra, feram.

DAPES MENSÆ BREVIS.

A. D. 1762.

.....

O GRAVES quisquis fugiens tumultus
Urbis, et mensas dapibus superbas,
Hîc levem fessus requiem sub umbrâ
Quæris acernâ;
En, tibi myrto, tibi parva castis
Vincta verbenis hederâque lentâ,
Frigidam lasso domus et silentem
Porrigit umbram.
Hîc Deæ sedes, sacer hîc recessus,
Quam juvat mensæ modicæ suppellex,
Quam leves herbæ tenuisque vivi
Fluminis haustus.
Cuncta præsentem, Dea, te fatentur,
Cuncta te dulcem dominam; tibi ultro
Humido circum thalami virentis
Fornice pendens,
Pampinus plenam tua tendit uvam;
Lapsa nec quercu tibi mella desunt,
Nec queri cessat gelido sub antri
Limine rivus.

Hîc ames castis, Dea, rite sacris,
Hîc coli fructu positisque pomis,
Pauperis conjux tibi quæ coloni
(Annua dona)
Hortuli dat primitias aprici;
Hîc manu purâ, pius hîc viator
Incolam (fas est) venerare cultu
Simplice Divam.
At nec insano nimius Lyæo
Audeas sacram violare sedem,
Nec Deæ somnos rudis insolenti
Rumpe triumpho.
Ne luens pœnâ graviore crimen,
Sœvias pectus violentiori
(Evias magno velut acta Baccho)
Percitus æstu.

——— SED OMNES ILLACRYMABILES
URGENTUR, IGNOTIQUE LONGA
NOCTE, CARENT QUIA VATE SACRO.

A. D. 1761.

.....

MULTA movens animo proles invicta Philippi,
Tardaque luminibus tacitis vestigia figens,
Insignes bello campos, loca sola, pererrat;
Troja ubi divinas arces, dum fata sinebant,
Extulit, et latâ populos ditione premebat.
Miratur veteres sedes sanctasque ruinas,
Miratur monumenta ducum; juvat alta Scamandri
Flumina collapsos præterlabentia muros
Visere, et Heroum priscos meminisse labores.
Præcipuè insolito famæ percussus amore
Spectat Achilleum Sigeo in litore bustum;
Spectat, et indomitum stringit reverentia pectus:
Facta viri recolens ardet, Manesque sepultos
Rite ciens, tales rumpit de pectore voces.
" Æacide, ante alios felix! Tibi Jupiter uni
" Maternis victus precibus, dum vita manebat,
" Egregias laudes plenosque paravit honores.
" Nec quæ te mediis rapuerunt fata triumphis,
" Eripuere decus. Tibi vectigalia pendit
" Posteritas, tumuloque tuo pia Musa recumbens

" Perpetuas agit excubias; memori eximet ævo
" Nulla dies versu totum vulgata per orbem
" Prælia; sera tuas, dux fortunate, triumphos
" Perleget, atque novâ commota cupidine famæ,
" Impavidisque ardens animis fremet arma juventus.
" Quid tibi, quòd flevit vires Lyrnessus Achillis?
" Quid quòd fulgentes oculi, vultusque minaces
" Totam aciem vertere retro? quanquam Hector ademptus
" Pergama Grajugenis tolli leviora reliquit;
" Irrita flevisses victor miracula dextræ,
" Raraque mansissent tanti monumenta laboris;
" Ni tibi vatis opus decus immortale dedisset,
" Ni te Musa tui tenebris superesse sepulcri.
" Heu! quæ digna meos compenset fama labores?
" Obruet una dies nomen; quid proderit ora
" Victa Scythæ, rubrâ quid decolor Issus arenâ?
" Nequicquam extremis Asiæ dominabor in oris,
" Nequicquam oceanus mihi serviet omnibus undis;
" Membra decusque meum tumulo condentur eodem.
" At nec adhuc pateris dispendia laudis, Achille;
" Quæque tuam extendent volventia secula famam,
" Celabunt nostros, careo quia vate, triumphos.

Περὶ πρίλιν ὠρχήσαντο.

A. D. 1759.

.....

CEDITE, queis opus est specioso more, micantes
Molliter in numerum ferre, referre, pedes.
Cedite, majores poscit sibi Græcia laudes,
Aptius armatos instruit illa choros:
(At nos virgineos juvat interludere cœtus,
Dum probat Argolicos Musa severa modos)
Indignantur enim ad citharam vocemque canoram
Grajugenæ implexos instituisse gradus:
Arma juvant, fortesque decent gravia arma lacertos;
Tela tonant rapidis torta, retorta, modis.
Armatos Pyrrhus docuit saltare catervas,
Bellaque pacificis conciliare choris:
Nec mora, constrictis acies splendescere telis,
Et velut oppositi marte movere duces.
Tum subitò horrificis concussa fragoribus arma,
Scutaque sublatis ensibus icta sonant.
Quin varios iniens cursus, variosque recursus,
Compositas servat martia turba vices.
Nunc etiam simili torquet sua membra palæstrâ,
Monticolas acuens Indus ad arma duces.

Terrifico fertur ter circum altaria saltu,
Ter strepit horrendis dissona turba minis:
Tela fremens vibrat, belli præludia; natos
Comprimit ad pavidum furva marita sinum.
Sæpius insolitos cernas fugientia gestus
Agmina, barbaricis et data terga sonis.
Lascivam ulterius pudeat celebrare choream;
Pyrrhica concutiat, dum salit, arma Brito.
Ad numeros referunt armorum mole gravatum
Scaligerum criticos composuisse pedes.
Vindicet ipsa suas saltatrix Gallia laudes,
At sinat impavidis bella necemque viris.
O verè Gallæ, neque enim Galli, ite, ubi promptos
Excitet imbellis tibia rite pedes.
Ite, nec insuetis posthac gerite arma lacertis,
Alipedes poscit vestra chorea viros.
Non bene conveniunt Gallo gravia arma fugaci,
Tutius in patriis saltet inermis agris.

SOPITOS DELUDUNT SOMNIA SENSUS.

A. D. 1754.

.....

PER vegetos infusa artus vis languida somni
Totam hebetat molem, tardumque in corpore virus
Miscet alens: primùm virgam per tempora quassat
Prospectum eripiens oculis, et lumina furtim
Cæcâ nocte operit: secretisque inde latebris
Pectoris obrepens, it sensim corpore toto
Viribus insidiata, et mascula robora membris
Exuit Herculeis, humerosque relinquit inertes.
At te, quam primùm lucis de fonte perenni
Desumpsit, jussitque Pater contemnere mortem,
Ignea mens, non ulla quies placidissima somni
Altius invasit, non auræ simplicis ignem
Colluvies fœda extinxit, tenuitve catenâ.
Scilicet immemorem curarum, operisque diurni
Vivida vis animum rapit, et sub nocte silenti
Exilit in somnis, volucrique per aëra lapsu
Omnia collustrat latè loca, nescia subter
Torpentes habitare sinus; hinc somnia passim
Occurrunt vanæque umbræ, confusaque rerum
Objicitur menti series: sine more volamus
Saxa per, et fluctus, gelidoque sub ætheris axe.
Nunc vivos circum fontes, et amœna vireta

Auricomâ fulvos decerpimus arbore fructus:
Nunc inter rerum simulacra et inania monstra
Vadimus in dubiam mortem; durique labores
Victorem perfecta iterum per fata reposcunt.
Usque adeò ancipites vultus pellacia somni
Induit, et, clausis quanquam sub nocte nigranti
Luminibus, menti depicta occurrit imago.
Quid referam, qualis facunda silentia promit
Causidicus, nodisque obscuram evolvere legem
Velle videtur: at eloquium simulantia fustra
Labra frequens movet, et nimiâ spe fervidus auri
Excutitur somno, et litem gemit interruptam?
Quid qui per noctem dementia castra secutus
Aut glaciem Rheni, aut Alpes invadit acutas?
Ille exclamanti similis, similisque cadenti
Exilit excussus lecto, fruiturque periclis
Expertus veram simulatâ morte salutem.
Fallaces visus, et perfida somnia! per vos
Imperium pelagi nautæ: sævum ille Charybdim
Exuperat, Scyllæque æstus, et nocte sub unâ
Europæ adjungit Gangem, spoliatque superbus
Regna Indi, gemmasque tenet, digitisque retractat
Exultans; tenues sed jam delapsus in auras
Somnus abit, sequiturque parentem dives imago.

CHORUS EX EURIP. HIPPOLYTO, V. 733.

A. D. 1764.

.....

PER dulces latebras ferar,
Quà me nubivagam ponat avem Deus
Inter pennigeros greges:
Aut trans æquoreos litoris Hadriæ
Fluctus, aut fluvium Padi;
Quà de flebilibus (dum Clymeneium
Fratrem triste dolent) nitor
Guttatim lacrymæ virginibus cadit
Illabens fluvio Patris:
Et per pomiferas Hesperidum plagas
Ibo voce sonantium
Mœstâ; cærulei quà Domitor maris
Nunquam pandit iter rati,
Oræ sidereæ dissociabili
Sacros flumine dividens
Fines; (stelliferâ quam validus manu
Atlas fulcit) ubi Jovis
Fontes ambrosii perque cubilia
Et delubra fluunt; ubi
Gaudet plena solum fertile munera

Dîs felicibus addere.
O, quæ raucisonos, alba Cydoniæ
Navis carbasa, per maris
Fluctus regificum (quàm malè prosperis
Ventis!) conjugium attulit
Felix litoribus patris! avi malâ
Regem Cecropiæ domûs
Visit: solicitus funibus advenam
Portu Munychio ratem
Vinxit navita: nunc urget amoribus
Reginam Venus impiis,
Ludum non placidum ludere pertinax.
Tandem plena Deâ, sacro
Aptabit laqueum, certa mori, toro;
Famâ macta, nec amplius
Insolabilibus læsa doloribus.

LUCUS IN ARCE FUIT SUMMA, QUA SACRA FEREBANT.

A. D. 1757.

.....

NECTITE sacratæ frondosa cacumina, Silvæ,
Nectite perpetui densata umbracula rami,
Indigenæ penetrale Deæ; non sæva bipennis
Augustos olim capiti decidet honores.
Armorum, non Martis equi, non tristis Enyo
Ægide concussâ ciet illætabile murmur.
Vos Jovis hospitium, cœli vos dira tuetur
Religio: liquidi cingunt altaria fontes,
Quos neque turbat hiems, neque sol violentior haurit.
Hesternos cineres tremulus depascitur ignis,
Et micat horrentes raro fulgore per umbras;
Umbras, quas pavidus nudo pede præterit hospes,
Dum plenus propiore Deo tonat ore Sacerdos
Indigetemque Jovem, et cœlo capita alta ferentes
Terrigenas: referens frondosa per atria cantus
Vocis inexpletæ morientia murmura tollit,
Agrestemque gravi formidine percutit Echo.
Ille tremit, totumque implet præcordia numen.
Nempe loci terret pietas, et nescia veri
Corda superstitio variâ sub imagine ludens
Nascitur in ventis, stridetque sub arboris umbram.

Vos eadem, Isacidæ, frondosis collibus aras
Edocuit moliri; eadem vos fœda Peori
Religio Sittique jugo, lucoque sub omni
Jusserat æterni fœdus violare Tonantis,
Et vetitos optare Deos: vos turpia vidit
Ad Lebanum Assyrii lugentes vulnera Thammi
Ezekiel; vos Dana bovi, vos lucus Horebæ
Conscius auratæ submittere genua juvencæ.
Astarten polluta Sion, polluta Topheti
Molochum coluere juga, et prope templa Jehovæ
Incesti maduere infantum sanguine colles.
Quin Gothus umbrarum lapides imitarier arcus
Jussit, et in sculptos sensim coalescere lucos:
Vertice mox patulas docuit frondere columnas
Arboris in morem; longis quà silva virescit
Ordinibus, vasto pendet curvamine fornix,
Dum se per pictas fundit lux ægra fenestras,
Et mirè totum videas silvescere lucum.
Tale nemus juxtâ mirantes surgere ripas,
Came, vides; tantas saxorum attollier umbras,
Regis opus: maneant ædes habitandaque magno
Fana Deo! huc quoties seri, tua cura, nepotes
Se referunt, te, sancte Pater, qui templa dedisti
Surgere, perpetuo grati venerantur honore.

AD REVDUM VIRUM J. BURTON.

.....

DUM munus timet aggredi Camenæ,
Vocem carmine molliore ludens
Exilem tibi tollit, impotensque
Lascivit numeris Catullianis;
Nec nutum capitis timet severi,
Nec tuum, malè pertinax, acumen.
Novit quàm criticas adibit aures;
Novit quo calamo ferocientes
Regis contuderis minas superbi.
Si quid scilicet aut parum latinè,
Si quid durius infacetiusve
Senex barbarus ille scriptitavit,
Transcriptum patet in tuis libellis.
O felix operum, tibi verenda
Momus sceptra dedit; tibi Camena
Verbis imperitare syllabisque.
O pleni salis Attici lepores;
Lusus ingenii perelegantis
Urbanâ gravitate temperati;
O vox mellea melleique cantûs,
Quos Musæ tribuere, comitate
Conditos facili facetiisque.

Sive apes Sophoclem tuum audiisti
Quintâ parte sui imbuisse mellis;
Ἀττικώτατος ipse dictus olim,
Tuque olim patiens apis vocari;
Musis aptus, idoneus choreis,
Baiarum novus hospes, eleganter
Lusisti calamo Petroniano,
Gratus virginibusque bellulisque.
Sic et ille stylo solutiore
Pingens delicias ineptiasque
Lusit suaviter, improbus leporum
Argutus Pater et facetiarum.
Quos plausus tibi Rhedycina mater
Stipatis dederit frequens theatris,
Musa avet memorare, sed fatiscit;
Dum nunquam potis est tuas tacere,
Nec dignè didicit tacere laudes.
O qui deliciæ et decus tuorum
Etonæ teneros foves alumnos,
Henrici simul hospes et patronus;
Pergas ingenuos lares tueri;
Laudes et tua scripta dum Juventus
Felix perlegit, inclytumque nomen
Musæ nobilitant perenniores.

EX HOMERI IL. ζ'. v. 390.

A. D. 1766.

.....

ÆRE cavo, telisque gravis fulgentibus Hector
Ibat in Argolicos raptus ad arma duces:
Omine cùm belli lævo tremefacta cucurrit
Obvia diffusis fida marita comis.
Gutta tremens nitido matronæ pendet ocello;
Dum premit ad trepidos Astyanacta sinus.
Lumina subduxit, matrisque refugit in ulnas,
Cùm galeam patris vidit et arma, puer.
Subrisit nato genitor, dum talia dicens
Hæsit in Hectoreâ regia Nympha manu.
" Quò properas, Conjux, fortis malè? dura capessis
" Non nisi per certam bella movenda necem.
" Nec tibi cura tuæ, indigno quæ serva labori
" Jam viduas abeam suppositura manus.
" Te solum omne simul petit agmen, in Hectora solum
" Composita ultrices Græcia fundit opes.
" Dì, precor hoc, ne sim, sponso moriente, superstes;
" Una dies Stygio condat utrumque lacu.
" Non mihi, qui foveat, pater est; non anxia mater
" Decipiat luctus, si moriare, meos.

" Belligerum, flammis Thebe crepitante, parentem
" Sustulit Æmathiæ barbara plaga manûs.
" Mater, Achilleas fugiens per dona catervas,
" Tela pharetratæ sensit acerba Deæ.
" In te cuncta tamen rediviva, patrisque videbam,
" Matrisque, auxilio damna repensa tuo.
" Ne patris optato careat solamine nata,
" Ne careat socio fida marita viro:
" Flectere voce meâ: neque enim te oramus, inermis
" Deposito, Conjux, ense sit ista manus.
" Cura sit Hectoreo turris labefacta lacerto,
" Quæ facilem Danais pandit aperta viam.
" Te quoque detineant miris pallentia formis
" Quæ tulit hesternâ somnia nocte quies.
" Dî precor, infausto nullum sit in omine pondus,
" At sua det reduci vir meus arma Jovi.

‡ADMONITU LOCORUM.

Ad J. Bing ante Minorcam. A. D. 1756.

.....

QUALIS leonum progenies ferox
Cruore largo fœdat ovilia ;
Bovesque turbatos paternæ
Urget atrox imitator iræ,
Tyrannus antri, et jam trepidantium
Terror ferarum ; qualem aquilam vigor
Innatus in pullos feroces
Indomiti memorem parentis
Misit draconum : Viribus integrum
Classis Britannæ Gallia sentiet
Repressa ductorem, marique
Cedet inops liquidoque regno.
Illum secundis prospera flatibus
Fortuna tollet ; qui mare subditum,
Lætusque majorum tropæis
Æquora nobilitata tranat.
Tu digna proles, tu Balearicum
Defende litus : quà fuga proxima,
Latéque rupes Barbarorum,
Et memores scopuli loquuntur

Laudes avitas. Quin nivium parens
Æterna vasto murmure verticis
Exultat, immensosque patrum
Ætna procul memorat triumphos:
Quà vasta montis clausa sub intimo
Moles Typhœi carcere sternitur,
Pectusque cœlestis columna
Hirtum operit rigidumque collum.
Hinc æstuanti gurgite bellua,
Et nube opacâ litora territat
Vicina, prorumpitque flammas,
Cum gemitu liquefacta volvens
Avulsa montis viscera: scilicet
Qui regna cœli scanderet impius,
Nunc rupe precumbens acutâ
Impositam dolet intus Ætnam.
Sic victa, sic mox Gallia lugeat
Ausus nefandos; sentiat insolens
Non consilî vim posse egentem
Ætherias penetrare sedes;
Nec nostra rupto mœnia fœdere
Lapsura: quanquam despiceret Deos,
Falsoque mentiretur ore
Turribus insidiata nostris.

Virtus Minorcam muniit Anglica,
Qualisque grandi fulmine Jupiter,
Contundet ausus insolentes,
Tartareo domitura vinclo
Turmas feroces; quà validus Mimas,
Sectisque truncis Enceladus jacet,
Quà Rhœtus ingens, i, scelesta,
I, comites pete, turba, dignos!

ADRASTI MORS.

Ex Herodoto. A. D. 1771.

.....

NIL patriæ valuere preces, neque pinguis ad aram
Molliit aversos victima cæsa Deos.
Ah! superûm quoties expalluit omina Divûm,
Vota ferens puero non valitura, pater.
Ah! quali struit arte dolos, metuensque futuri
Nectit sacrati mollia vincla tori.
Scilicet hinc si fortè puer, si fortè retentus
Conjugis in gremio dulce quiescat Atys.
Infelix! neque enim fati mutanda voluntas,
Nec vitare licet numina certa Jovis.
En, juvenem socii exanimem super arma reportant,
Quem modò festivâ lampade visit Hymen.
Irrorat sanies artus, humeroque recumbunt
Indignâ pueri colla soluta nece.
Virgineo veluti marcescunt pectore flores,
Aut rosa, cui gravido flectitur imbre caput.
Agnovit longè gemitus pavefacta patris mens,
Sanguineæ agnovit munera texta togæ.
Jam luctu rabieque furit: " Te, maxime, testor,
" Qui regis hospitii jura fidemque, Pater;

" Vos Diræ ultrices, meritas huc vertite pœnas,
" Ne cædem geminans hospes inultus eat.
" Scilicet hoc merui? depulsum sede paternâ
" Excepi; in tantâ labe piâcla dedi."
Interea mœstus comitum processerat ordo;
Adrastus, lacrymis grandibus ora rigans,
It tristis; fœdo stillantem sanguine dextram
Tendit, et amplexus languida genua patris;
" En, supplex venio; mortem largire precanti;
" Hoc etiam pietas, hoc bene poscit Atys.
" Sat curis vitæque datum est; bis sanguine fuso
" Hanc videor saltem promeruisse necem."
Commoti cadit ira Patris: clementia sensim
Lenibat placidis effera corda modis.
Non animi tamen Adrastum cohibere tumultus
Fata sinunt; luctus corda pudorque movent.
Umbra simul cæsi ostentat sub pectore vulnus,
Visa viri lentas increpuisse moras.
Irruit, et læsi tumulum complexus amici
Hæret, et hos moriens vix trahit ore sonos.
" Quid vitam moror invisam? simul ibimus," inquit,
" Te sequar, ipse tuæ causa comesque necis."

‡ DONATUS RUDE.

A. D. 1766.

.....

ME procul æquævo cœtu, laribusque beatis
Avocat ad muros regia Granta suos:
Parva tamen mora sit, spatium breve, dum tibi possim
Dicere supremum, dulcis Etona, vale!
Quamvis Pierios, Musâ ducente, recessus
Perlustrare mei non didicere pedes,
Quò mens grata tamen, pietas quò fida vocabit,
Officio gressus deproperante, sequar.
Dum * tibi, qui teneras finxisti ad carmina voces,
Dona ferat timidâ nostra Thalia manu.
Est aliquid tecum simul incoluisse, juvabit
Tecum Pierios deseruisse Lares:
At non totus abes; sed, ut ante, vigebit Etona
Jam quoque præsidio non aliena tuo;
Dilectam Musis ædem ne desere, Phœbo
Nec cupias numeros eripuisse suos;
Nam simul abscedes (quod jam procul absit) Etonam
Rarior, abducto præside, turba colet:

* *Dr. Barnard.*

Auspice te, viridi certavit betula lauro,
At sine te vilis, ceu priùs, arbor erit.
Nec tamen, ut doleat te discedente, quietem
Invideat domino grata juventa suo;
Nempe decennalis sunt hæc tibi præmia curæ,
Ampla licet, meritis inferiora tuis.
Hoc tibi fas tantùm nobis vovisse; fruaris,
Quicquid habes; quicquid vis, potiare, precor.
Musa vale, comitesque; vale Pater optime, posthac
Non iterum nugis impediende meis.

IRRITAT, MULCET.

A. D. 1765.

.....

OMNIGENI regina soni, seu lætior audis
Nata auræ, liquidæ varians discrimina chordæ,
Quæ dociles hominum facili regis impete sensus,
Excute te somno, Lyra, virtutesque conoras
Rite ciens, animis divino illabere flatu.
Tu potes auxilio Musæ sub nocte profundâ
Mœrorem sopire gravem ; tu fallere morbi
Tædia, et austeri componere seria vultûs ;-
Tu, Divôm arcano confidens munere, clausas
Lætitiæ reserare fores, digitoque potenti
Clementum lacrymarum occultos pandere fontes.
Crudeli lusu bellorum armisque relictis
Otia agens Gradivus, humo letale refixit
Arbitriis hastile tuis ; currûsque supini
Cantata Œagrii rota culmine constitit Hæmi.
Quin ubi vim magicam grati modulaminis audit
Fulmineæ Jovis insidens rex aliger hastæ,
Deficiunt plumæ ; multo levat humida nisu
Terga ; jacent altæ mersi caligine noctis
Fulgores oculorum, et adunci fulmina rostri.

Quinetiam agrestes Siculi pastoris amores
Indignata diu, patriâ Galatea sub Ætnâ
Imposuit rapido, Polypheme, silentia ponto,
Silvestres mirata modos, et rustica plectra.
Arctoâ tellure, ubi nunquam Hyperionis ardor
Perpetuo solvit constrictos frigore montes,
Musa supercilium Boreæ noctisque profundæ
Explicat informes mirâ dulcedine rugas,
Solaturque vagam dulci modulamine gentem.
Sæpius ambrosiâ ripâ porrectus ad amnem,
Orellana, tuum, fuscos puer Indus amores
Carmine suaviloquo narrat, numerisque solutis
Cristatos canit heroas nymphasque nigrantes.
Timotheus magicâ Aoniæ testudinis arte
Dirigere alternos facili sub pectore motus
Novit Alexandri: Jam Bacchi insontia cantat
Gaudia festivumque merum. "Deus ipse triumpho"
Clamat, "adest hilari: læto reboant ululatu
"Et nemora, et valles, demens ubi tympana Thyas
"Percutit, et liquidos accendit tibia cantus.
"Ebrius ecce Deus! super humida roribus ora
"Ambrosiis tepidosque sinus incedit amoris
"Inviolatus honor teneræque cupidinis ardor."
Nescius internos heros celare furores

Suspirat, subito bacchantur pectora motu
Præsentem testata Deum; lascivus ocellis
Vivit amor; pariterque mero somnoque sepultus
In gremium caput ardentis rejecit amicæ.
Versa manus vatis subitò, digitoque volanti
Icta chelys sonitum Mavortis et horrida belli
Orgia concinuit; tonitru commotus acuto
Fastidit requiem, atque inhonesti vincula somni.
Attollit recline caput, trepidoque furore
Arma rapit, totique timores incutit orbi.

Εὔτε τὴν δι' ἀρετῆς ὁδὸν τρέψονται ἐπὶ τὸν
βίον, εὔτε τὴν διὰ κακίας.

A. D. 1772.

.....

DUM puer indigenis impendens otia Musis
Prata per, et valles errat, Etona, tuas;
Aut reputans vitæ quo flectat calle futuræ
In spatia admissos liberiora pedes;
Dum variâ arrectos delectat imagine sensus
Fortunæ, qualem spes juvenilis alit;
Stat, velut Alcides, quem longam cepit in horam
Voce per alternas utraque Nympha vices:
Cùm tali alloquitur tristem sermone clientem
Visa per obscurum Principis umbra nemus.
" Ante tibi liceat quam nostrâ abscedere ripâ,
" (Lambit honoratis quam Thamesinus aquis)
" Quà nunquam serâ posthac ætate pigebit
" Te comitem Musis îsse meisque choris;
" Si bene sum de te meritus, nostrâque lubenter
" Multa putans gratas nectis in æde moras,
" Hæc, age, rite memor studio præscripta fideli
" Percipe, et ingenuâ dicta tuere fide.
" Non datur ulterius nostrâ sudare palæstrâ;
" Jam tibi maturo major arena patet.

" Protenus est aliis tua conspicienda theatris,
" Nescit et his ultro fallere vita locis.
" At, quacunque pedes per vitæ lubrica flectas,
" Sit tibi custodis gratia salva tui.
" Sit tibi fida comes virtus; ea sola, laborum
" Terminus, et longæ meta petenda viæ.
" Sit prærupta licet durisque obstructa rubetis,
" Et labyrinthæo semita torta dolo;
" Ingrediare tamen; dumis vepribusque juvabit
" Fortiter adversas opposuisse manus.
" At cave, ne medio deflectas tramite fessus,
" Tædia inaccessi questus iniqua jugi.
" Perge modò, et faciles aditus ad cærula pandet
" Templa tibi, emenso monte, supremus apex.
" Præmia sic tu justa feres; sic Musa fidelis
" Te celebret, qualem jactet Etona, suum."

‡ Ἄγγελος ὄρνις.

A. D. 1764.

.....

I, FUGIAS, celeri volitans per nubila cursu,
I, fugias, Cypriæ grata Columba Deæ!
Mollia si medius prohibet commercia pontus,
Et malè quæ votis, heu! favet unda meis;
Si neque dilectæ voces audire puellæ
Jam liceat, vultu nec propiore frui;
Tu mihi quod fas est præstabis; et alloquar absens
Absentem officio, blanda columba, tuo.
Te licitas carpente vias, interpres amoris
Hæc eat, et sensûs charta ministra mei.
Sic oculos nymphæ paullum mea vota morentur,
Perlegat et scriptum fida Susanna meum.
Arte laboratæ merguntur in æquore puppes,
Obsessum infestant raptor et arma solum;
Tu, liquidas secura ferens mandata per auras,
Effugies nullis impedienda moris.
Quis cœli tibi claudet iter? dum lumina fallens
Vana virûm, scindis tuta sub astra fugam.
Sæviat unda maris, moveant insana tumultus
Æquora, et eversas concitet Eurus aquas.

Tu fugis incolumis, volucri pernicior Euro,
Carpis et aërias inviolata vias.
Garrulitas nostræ quondam temeraria linguæ
Indicio prodit multa tacenda levi:
At tibi vox nulla est; nec, si loquereris, amoris
Furta Cytheriacæ lingua loquatur avis.
Hoc Venus ipsa vetat, te sæpe experta fidelem,
Usa ministeriis in sua furta tuis;
Nempe alis invecta tuis, tibi semper amores
Fidit in amplexus Martis itura Venus.
Nunc quoque (dilectam docet hoc Cytherea volucrem)
Nunc quoque amatori, fida columba, fave.
I, pete per cœlos nostram festina Susannam,
Sic mihi, sic Veneri grata futura tuæ.

VITÆ ME REDDE PRIORI.

A. D. 1774.

.....

OPTATUM exosus regnum curasque perennes,
Amplexusque asini colla jubasque sui,
Exclamat Sancho; "Quis me malus abstulit error?
"Quæ mens in curas officiosa suas?
"Huc, Asine, o mihi post nullos memorande sodales,
"Huc ades, o domino semper amice tuo!
"Ut fronti incumbens repetita ter oscula pangam;
"Mille mea ut numerem tristia, mille tua.
"Nos duo turba sumus; tuque omnia prospera sensu
"Concordi exhilaras, omnia læva gemis.
"Ut memini placidos lætum me condere soles,
"Dum patrio tenuit nos lare tuta domus.
"Gaudebam plenis tibi ferre canalibus undam,
"Ponere et assiduâ pabula priva manu.
"Aut phaleras sarcire tuas, aut imbre lutoque
"Cura erat aspersam composuisse jubam.
"Tum lapsus gyris rediit felicibus annus,
"Et læto arrisit læta Teresa viro.
"At mala me ambitio tentans, sponsamque fidelem
"Impulit et patrios deseruisse lares.

" Protenus et subiit regnandi dira cupido;
" O nimis in curas area lata meas!
" Non mihi sunt aptæ trabeæ, nec eburnea sella;
" Non moderanda meâ regia sceptra manu.
" Non sunt nota mihi vel pacis jura, vel arma,
" Non legum ambages calliditasque fori.
" Me mea rusticitas vitâ traducat inerti,
" Et doceat cultâ spargere semen humo.
" Salve, blanda quies, et simplicis otia vitæ,
" Quà nox cum somno est, et sine lite dies.
" Quà satient avidam, finito rite labore,
" Cum lardo panis mucida frusta gulam.
" Non adsit medicus, qui virgâ fercula tangat,
" (Fatidico nimiùm cui mea cura salus)
" Ut doleam intactas subitò vanescere lances,
" Et sitiam in mediis Tantalus alter aquis.
" Sed patulæ recubans fagi sub fronde quiescam,
" Despiciens regnum, despiciensque famem."
Sic ait, et fido vix hærens pinguis asello
Tendit iter; plagis corpora tunsa dolent.
Clamor adhuc trepidas nocturnus verberat aures,
Et tergo hostiles credit adesse manus.

EX EZEKIEL CAP. VICESSIMO SEXTO.

A. D. 1764.

.....

IGNI corusco nubila dividens
Jehova claro ter tonuit polo,
Tyrumque casuram Propheta
Admonuit: malè feriaris,
Eheu! futuri nescia: gaudium
Fatale carpis, quid Solymas gravi
Luctu laborantes superbo
Insequeris malesana risu?
Conviciorum desine; sat Sion
Superque pœnas jam dedit; at tibi
Non lene cœli sævientis
Supplicium minitatur ira.
Utrinque vindex innumeras agit
Jehova gentes, agmina concitans
Armata, ceu vasti furentes
Oceani ciet Eurus undas.
Sternentur arces; præcipiti ruent
Dejecta casu mœnia, inutilis
Moles jacebis, sicut alti
Montis apex pelagive rupes.

Regina nuper quà stetit urbium
Tyros superbo vertice, retia
Piscator exsiccans apricis
Culminibus spatiosa pandet.
Jussu Tonantis rex Babylonicas
Cogit phalangas; nec rapidam arietis
Vim sustinebunt, nec bipennis
Assiduos tabulata pulsus.
Quæ cura matres, quantus aget dolor,
Dum Victor atro pulvere sordidus
Captam triumphantes per urbem
Urget equos volucremque currum.
Civesque lapsis parcere nescium
Prosternit agmen: divitiis Tyros
Nudata, traderis superbi
Arbitrio spolianda regis.
Dum fas, choreis et citharæ vaca,
Fletura posthac: non iterum melos
Audire vocum, barbitonque
Dulcisonos iterare cantus
Licebit. Eheu! non reparabili
Devota casu, lugubre posteris
Jacebis exemplar; viator
Fœda gravis monumenta pœnæ

Horrore tactus prospiciet ; domos
Regum revellent agmina. Quos ibi
Planctus repercussis gementum
Vocibus ingeminabit Echo !
Quotquot propinqui finitimo tenent
Succincta ponto litora Principes,
Terrore perculsi superbos
Rejicient humeris amictus,
Fœdoque crines pulvere collinent
Humi jacentes ; qualia supplices
Ad vota decurrent, ruinâ
Admoniti propiore gentis
Nuper beatæ ; quam priùs ultimæ
Quascunque terras sol fovet, urbium
Videre reginam, potentem
Divitiis, dominamque ponti.
Æquor procellas sentient ; insulæ
Repentè quassis attonitæ trement
Radicibus, quotquot sonante
Oceanus redimivit undâ.
Secura quà nunc exitii Tyros
Ad astra tollis turrigerum caput ;
Jehova nigrantes arenas
Ultor aget rapidosque fluctus.

FLECTERE SI NEQUEO SUPEROS, ACHERONTA MOVEBO.

A. D. 1766.

.....

CELARAT axem Phœbus Hesperio mari,
Suoque Morpheus languidam papavere
Oblivionem duxerat mortalibus.
At criminum Macbetha conscientiâ
Turbatus, evocat inferos Orco Deos.
" At o silentî Vulgus, o nigrum Chaos,
" O mysticæ precationis Arbitræ
" Audite Parcæ, si venenatas sacro
" Vestrum cruore flamen aras imbui.
" Licet obseratis auribus fundens preces
" Cœlo supinas sæpius tulerim manus;
" Licet rogatam Dî negarint gloriam:
" Nunquam recedet impotens conatibus
" Macbetha, sero vespere exercens dolos
" Abominandos. Non movenda numina
" Movebo, Tartaroque sceleris artifex
" Inusitatas misceam supplex dapes.
" Nunc, nunc, adeste criminum ultrices Deæ,
" Crinem solutis horridæ serpentibus;
" Orcique custos, fronte non unâ minax;

" Argenteisque devocata curribus
" Diana ternis annuat præsens focis.
" Hîc, ecce, sacrum temperabo poculum :
" Hîc irrepertum tota quod tellus habet,
" Hîc flore gramen quicquid atro nacitur
" Vires nocendi continens, miscebitur ;
" Et herba, si quâ decolor Gangis linat
" Potor sagittas, adsit in cantus meos.
" At o, Deorum quicquid inferos regit,
" Nunc, nunc, adeste ; molliam dementia
" Formidolosis corda potionibus.
" Si nec querela moverit summum Jovem,
" Si nec Deorum corda Manium preces,
" Mox sanguinem sat expiabo sanguine,
" Sacerque ponam morte devotum caput."

Αμύνασθαι περὶ πατρῆς.

A. D. 1778.

.....

FELICES terræ, quarum olim in litore gressus
Aurea Libertas fixit, finitaque certo
Jure Themis; faustis illic sub legibus acres
Succrescunt pueri heroumque interrita proles:
Non illi quidquam populo inclementia cœli
Officit; arentes seu sol violentior æstu
Torret agros, seu tristis hiems Aquilonis ab alâ
Frigoraque sparsasque nives diffundit, et omnem
Aëra marmoreo circum torpore coërcet.
Vincit enim cœli vitium, perque omnia regnat
Aurea Libertas, pueris nascentibus addens
Ardorem vivum, atque immotæ robora mentis.
Dein patriæ generosus amor, dein mascula virtus
Nascitur, et sævis vigor insuperabilis armis.
Talis, consuetâ comitum stipante catervâ,
Graiorum populos Ægæique ardua ponti
Litora Libertas visit; cui Copia semper
Fecundo dives cornu, cui splendidus ordo
Artium, et alta Fides, Virtusque astabat eunti,
Et Themis, et lætam ostentans Victoria palmam.

Græcia tum caput Eoos super extulit hostes;
Tum genus acre virûm fovit conjunctaque causâ
Pectora, seu gentem erudiit lex dura Lycurgi
Eurotæ in ripis; seu libera jura Solonis
Bellatorum animos aluere ad flumen Elyssi:
Tempore quo pompâ Xerxes luxuque superbus
Barbarico, Graiisque intentans vincula regnis,
Juncta indignantis pelagi vada ponte revinxit,
Et magnum patefecit Athon; tum turbinis instar
Serviles turmas Asiæ immanemque catervam
Attonitæ campis Europæ infudit: at illum,
Insanas versantem iras, et vana minantem,
Græcia percussit; fractumque repentè coëgit
Imbellem ad patriam rursus populosque trementes
Confugere, et proprios inter se condere servos.
At postquam insidiæ Persarum, et didita furtim
Munera, barbaricumque oblatum civibus aurum
Semina nutrierant dissensûs, improbaque arma
Cecropidum soboles Spartæque infensa propago
Inter se tulerant; ex illo tempore retro
Res Graiûm fluere, et priscæ languescere leges:
Donec amor patriæ sensim, nativaque virtus,
Et veteres periere artes; tum victor inerti
Ingruit Emathius populo, infamesque catervas

Servitium incumbens mœstis porrexit in arvis.
Tum vaga Libertas frenum aversata tyranni
Mutavit Graiis Italas regionibus oras.
Illic fausta diu veterique insignis honore
Crevit, et innumeros, virtutis sedula nutrix,
Protulit heroas; queis defensoribus, ingens
Imperium stetit, et Capitoli immobile saxum.
Verùm ubi civilis furor, exitiosaque regum
Ambitio, cæcique frementia murmura vulgi
Miscuerant motus; luxusque, et lenta voluptas,
Desidiesque Italas latè vitiaverat oras;
Dein rursus priscas sedes assuetaque linquens
Litora Libertas, vultuque decora verendo
Dia Themis, fines lætæ advenere Britannos
Jampridem, et gelidis gaudent considere in arvis.
Quid memorem, quali sub libertate Britanna
Terra tulit prolem? satis æquora subdita ponti,
Atque avulsa dolens nudatis lilia scutis
Gallia, et infracti toties testantur Iberi
Virtutem patrum, et generis molimina nostri.
At nec adhuc sacra Libertas, neque vividus ardor
Angliacos intra fines et pristina regna
Tam prorsus periere; manet, manet illa juventæ
Vis animi, et flammæ scintilla accensa prioris;

Quæ jam fulmineo Gallorum marte superbas
Frangat opes, nostrisque minantes arceat agris.
Illustres animæ patrum! quos territa quondam
Gallia servilis vidit fundamina regni
Concutere, et trepidas latè dare jura per urbes;
Vos saltem faustis cœlesti e sede nepotes
Respicite auspiciis: vos uno fœdere cives
Hostilem in gentem perjurique agmina Galli
Jungite, dissidiumque oris avertite nostris.
Quin jam certatim totis capit arma juventus
Litoribus; jam sublimi crepitantia pulsù
Tympana sæpe boves inter sulcosque colonus
Audiit, assuescitque tubæ, gaudetque coruscâ
Aspiciens patrias latè per rura cohortes
Exultare acie, et castris albescere campos.

Ξέρξης ἑωϋτὸν ἐμακάρισε, μετὰ δὲ τῦτο ἐδάκρυσε.

A. D. 1772.

.....

DIC, Thamesine pater (ripâ tibi sæpius udâ
(Nam temere ingenui discubuere chori)
Quis nunc te validis fidit tentare lacertis?
Quis princeps vitreo denatat amne puer?
Quem juvat insidias avibus subtexere visco?
Quem per plana pilam rura trochumve sequi?
Quæ nova progenies studio succrescit eodem,
In faciles lusus temporis usa fugâ?
Spes brevis hos, vanâ delectat imagine dives;
Votaque successu vel potiora suo.
His vacuum pectus sine pravæ aspergine labis;
His gena lacrymulâ jam caritura brevi;
His lasciva salus rubicundo insignis honore,
Et largæ ingenii luxuriantis opes.
Dum temere, ah! ludit venturi improvida pubes,
Qualiter ante aras victima ludit ovis;
Non procul absentes novit præsumere curas,
Crastina vix fati quid vehat hora, memor.
Heu! volitant denso gravia infortunia circùm
Agmine, et humanis Parca ministra malis.
En, prædæ invigilant: homines hos esse, genusque,
Heu! natum ad vitæ dura ferenda, mone.

Illius insanâ pectus lacerabitur Irâ;
Quale Prometheum vulturis ungue jecur.
Hos aget indignantem acuens Injuria mentem,
Et demissa Pudor lumina fixus humi.
Hunc desiderio falsæ consumet amicæ
Tabida depastus corpora durus Amor.
Invidia hunc, illum penitus Spes maceret, ultro
Fracta, novam sortis nescia velle vicem.
Sanguinis hic reus atque humanæ cædis agetur,
Membraque purpureis planget inusta notis.
Manibus et semper Furiisque ultricibus actus
Ingeret in tantum vana piâcla scelus.
Horum animos Error ludet fanaticus, et, qui
In mediis damnis ridet inane, Furor.
Longævæque subest Macies Tithonia vitæ,
Arida quæ lentâ conficit ossa siti.
Cuique suus dolor, et proprii patrimonia luctûs;
Hic fato alterius flebit, et ille suo.
Si nequeat curarum accedere seriùs hora,
Fata quid e Stygiâ nube futura traham?
Desine jam certos meditando arcessere luctus,
Desine, nec plures det lyra pulsa sonos.
Si faciles ultro dabit ignorantia somnos,
Gaude, quàm poteris desipuisse diu!

STELLÆ SPONTE SUA JUSSÆNE VAGENTUR.

A. D. 1777.

.....

QUID cœli varios motus, quid temperat orbem,
Quid lunæ cursus; quâ vi palantia lucent
Sidera, circuitusque suos et lumina volvunt,
Scire nefas homini; donec Neutonius oris
Angliacis tandem exortus, primordia mundi
Intima rimatus, certâ coalscere lege
Monstravit; quoque impulsu, quo pondere vertat
Et terræ et cœli moles, quæ fœdera rerum,
Edocuit; propiùs naturæ arcana peritus
Mente aperire sacrâ, et cæcas describere partes.
Hic lunæ explicuit cursum, quo numine vultus
Ostendit varios, mutatosque ordinat ignes:
Seu tenuem spargit contractâ lampade lucem,
Nocturnumve jubar pleno trahit axe per auras.
Præterea quâ vi molem tumefecit aquarum
Illa vice alternâ, fluctusque attraxit ad orbem;
Dum pariter refluens, seque in sua claustra resolvens,
Unda retro fertur, flavasque reliquit arenas.
Inde novos lucis radios, oculisque retexit

Iridis undantesque sinus vestemque coruscam:
Misceat ut varium tenui discrimine lumen
Materies diversa fluens, raptimque per auras
Sparsa cito motu, rerum spectacula pandat,
Collustrans terras cœlorumque aurea templa.
Scilicet ætherios solers peragrare meatus
Ingeniam cœlo intendit, stellasque vagantes
Signavit, quæcunque oculis objecta per auras
Nocte tremit, vitreove tubo prospecta vagatur,
Aut quamcunque altis via distinet invia cœlis.
Ille etiam errantis magnum per inane cometæ
Signavit flammas, atque imperterritus ignem
Aspexit lugubrem, atque omina tristia noctis.
Ut medio sol ipse micans regit orbe planetas
Ætheris in campis latè, dispendia lucis
Usque suæ renovans, novit; dum signa per axes
Insita vis proprios raptat, gyroque diurno
Exagitans, centrum cogit petere usque deorsum:
Dum gravitas justo flectit curvamina nutu
Solis ad arbitrium, cui vis magnetica lances
Sustinet, æquatoque examine temperat orbes.
Hinc Venerem, ante omnes quæ splendet clara planetas,
Miramur, seu mane refert nova signa diei

Lucifera, occiduove micat nitidissima Phœbo.
Protenus effulget, cinctusque satellite turbâ
Jupiter axe suo, famulantes agminis orbes
Dirigit adjuncti, et radiantia cingula spargit.
Ultimus, en, peragens semoto limite cursus,
Saturnus lugubre micat, zonamque retexens
Nimbosas noctes tempestatesque minatur
Improbus, et terris feralia lumina jactat.
O opera æterni artificis! cui spiritus omne
Interfusus alens mundi moderatur habenas.
Nonne probant hæc signa Deum? quid quæritis ultrà
Improba gens hominum? quid si, quot lumina fulgent,
Tot mundos Pater omnipotens sibi numine finxit
Providus, indigenasque suos sua sidera nôrint?
Hæc quæsita tibi rerum Pater ipse reclusit,
Neutoni: hinc artem tandem æmula turba sophorum
Agnovere tuam, et divinæ mentis acumen.
At (tibi nativâ seu spiritus arce moratur,
Sive novos super astra polos collustrat, et ultra
Siderios fines alio procul aëre fertur)
Despicias, precor, atque animis illabere nostris,
Nil mortale ferens: sophiæ, te principe, nostrum
Omne decus; dum signa tuo labentia nutu
Ingenium sacrant, cœlique fatentur alumnum.

Εἰθ ὡς ἡδώιμι.

A. D. 1762.

.....

VIDIMUS excelsâ profugam de rupe capellam
Præcipitem ruptis exiluisse plagis;
Vidimus et lento deprensam acalanthida visco,
Luctantes foliis eripuisse pedes:
At neque fallaces iterum petit inscia frondes,
Aut iterum notos immemor illa dolos;
Non semel astuti laqueis elapsa coloni
Impediet læsos cauta capella pedes.
Nos, ubi solicitæ fessos per tædia vitæ
Condiderit portu tuta senecta suo,
Nec piget annosas iterum solvisse carinas,
Nec dare nubiferis vela ferenda notis.
Non satis hibernam semel est vitare procellam,
Non semel adversos solicitare Deos.
Quin iterum reduces optamus labier annos,
Atque iterum certis indoluisse malis.
Nauta senex lætâ queritur projectus arenâ,
Æquora ubi lenis stravit amica notus;
Et freta prospiciens noti super humida ponti,
Tam citò mutatos flet periisse dies.

Spicula militiæ tractat juvenilia miles,
Et noto albentes induit ære comas;
Et tremulas spectans dejecto lumine palmas,
Multa gemit, profugos enumeratque dies.
At quid iners dolor, aut lucis tam dira cupido,
Aut ea vicinæ territat umbra nescis?
Vive pius; lapsos retro neque labier annos,
Nec rapidos optes lentius ire dies.

----- NEC TURPEM SENECTAM DEGERE.

A. D. 1759.

.....

ASPICE, declivis dum vergit ad æquora Titan,
Lenis ut æstivum finiat hora diem:
Solis ubi cessit rabies, quàm vesperis almi
Solennes tenebræ, quàm veneranda quies.
Tunc omnes posuere auræ, nî fortè Favonî
Langûida vix tepidum ventilat ala polum.
Sic tenor et vitæ requies virtute peractæ,
Dum placidas nectit blanda senecta moras;
Cui nec atrox rabies furiisque accensa libido
Stringit inextinctâ saucia corda face;
Nulla recordanti cui facta ingrata, nec ulla
Hora subit, cujus non meminisse velit.
Quòd si succiduis tremit impar dextera nervis,
Majus in effeto corpore pectus inest.
Nulla Sophocleæ vires minuere senectæ
Damna, nec ingratæ crimina ficta domûs.
Pendentem juxtà citharam de pariete sumens,
Aurea non residi pollice fila movet.
Œdipodæ canit ærumnas spretamque senectam,
Blanda nec extremam Musa recusat opem.

Undique festivos per densa sedilia plausus
Divino ingeminant amphitheatra seni.
Ipse sedet lauro crines circumdatus, ipse
Temperat emeritæ subdita corda lyræ.
Talis apud Siculos post splendida facta juventæ
Longævi viguit Timoleonis honos.
Auribus arrectis circumstans turba verendi
Anxia fatidico pendet ab ore senis.
Seu furit infaustos agitans discordia cives,
Arbiter hic dictis turbida corda regit;
Sive opus in bellum turmas accendere, tardi
Lingua senis vires, queîs caret ipse, novat.
Fortunate senex! licet inclyta torpeat annis
Dextera, et officium lumina clausa negent.
Fortunate! tuos nam si quis honoribus annos
Dinumeret, Pylio Nestore major eras.

Ἔβαλες κεμάδεσσι χαλινά.

.....

FLUMINA per constricta gelu, clivosque nivales
Me ducas, Diana, tuis ubi colla capistris
Dama dedit, levibus gaudens parere lupatis.
Te duce Rhiphæam glaciem fluviosque nivales
Arte novâ, et junctis ausus percurrere cervis,
Lustrat Hyperboreos plaustro vagus incola tractus.
Non tamen has artes equiti fera bruma Britanno
Indulsit, virides radat licet axe citato
Non auriga piger campos, et mollia prata
Transvolet; albentes glaciali frigore campos
Hiberni metuens cursûs fugit; arva revisens,
Cùm Phœbus zephyris laxat redeuntibus auras.
Non ita quà terram nativo frigore durant
Perpetui flatus Boreæ, gelidâque sub Arcto
Indigenæ torpent hiemes, miro impete Lappo
Radit lubricum iter, solidumque supervolat æquor.
Fòrs gerit ad vicum calathos, et parvula ruris
Dona sui; faciles sulcat durata per undæ
Claustra vias, solidæque nivis multo aggere canos
Percurrit montes: illi fidissima conjux

Ponè subit, dilecta comes; patriique lucelli
Participes currunt pueri, queîs flectere gyros
Arte rudi labor, et monitis impellere cervum.
Scilicet ipsa suos partus ad frigora ducit
Mater, et in patrio firmans impubia ponit
Membra gelu: mox et glacialia tesqua viarum
Ipsa docet penetrare, levemque ascendere currum.
His tamen algentes, genialis flamma, medullas
Versat Amor: quoties per lustra albentia nymphæ
Complexus puer optatos petit: en, ubi cervi
Flectit lora, moræ impatiens. "Fuge, cerve, per æquor;
" Flagitat aut aquilæ celeres, aut fulminis alas
" Noster amor: levis i, fugias; jam vesperis umbra
" Furtivo irrepit passu; sol aureus orbem
" Condidit, et dubiam fudere crepuscula lucem.
" Eia age, rumpe moras; quà nullius orbita planam
" Antè superficiem rasit, quà nulla rotarum
" Signa manent: levis i, fugias; mihi lampade sacro
" Pandit iter fluvii currens per acuta Cupido,
" Et tutum, quo nympha latet, me sistet in antro.
" Quid quòd durescant glaciali compede vincta
" Flumina, quod niveos hiberno numine montes
" Nativus Boreas solido duramine vincat:

" Orra hiemes risu tranquillat ; visa labores
" Leniet Orra meos : fuge, ventorum ocyor alis ;
" Ipsa vocat, digitum tendit, gelidoque sub antro
" Felicem puerum notis ambire lacertis
" Fida parat : tardos, age, Cerve, cupidine nostrâ
" Flecte pedes : me trade meæ complexibus Orræ."
At simul ac notas voces tractabilis audit
Cervus heri ; sævi docilis non ille flagelli
Admonitum manet, at blandæ moderamine vocis
Concitus errumpit, celerique per arva volatu
Urget iter ; levi labens curvamine ferri
Ipse volens sequitur facilisque per avia currus :
Aspera fortè nivis si crusta ruentibus obstet,
Dissilit, et cano scintillant fragmina campo.
Felix arte novâ lætusque auriga laboris !
Quem Boreas tuus errudiit, quem frigora durant,
Indigenæque hiemes, virtusque laboribus aucta.
Cedite inexperti glacialia rumpere claustra
Quadrupedes Britonum ; brumæ retinacula Lappo
Spernit, et evincit glaciem, tardæque quietis
Impatiens super arva volat, fruiturque pruinâ.

MENS VEGETAM SE AD SOMNIANDUM ACREMQUE PRÆBET.

A. D. 1764.

.....

UT me delectat gelidi prope murmura fontis
Straminis exiguo culmine tecta domus!
Pana mihi ruris Dominum comitesque Camenas
Rite vocans, cultu simpliciore fruar.
Quin ubi vi magicâ languentes claudit ocellos
Virga soporiferi tincta liquore lacûs;
Membra licet molli jaceant torpore soluta,
Lumina Lethæis fessa premantur aquis:
Mens tamen indefessa, et ab omni libera vinclo,
Nativam affectat præpes ad astra viam.
Splendida nam vigiles pertentant somnia sensus,
Et sopor ingenii dulcis acumen alit.
Per Styga, per tenebras, Orcique impervia vivis
Litora cæruleâ puppe Charontis agor.
Interdum per inane volo, nec splendida cœli
Conspectu superum denegat aula Jovem.
Quin ubi Baccharum gemitus lætumque ululatum
Attonitus refluis audiat Hebrus aquis,
Fida recemiferi pingunt mihi somnia Divi
Orgia, terrificos ære ciente sonos.

Nocte gravi tacito sæpe exiluisse cubili
Divinum meditans fertur Homerus epos.
Vi propiore Dei quoties per munera noctis
Ingenii effudit luxuriantis opes.
Hinc raptâ iratum Briseide solus Achillem
Pinxit, et immissos in fera bella Deos.
Ipse suum Phœbus præsens per somnia vatem
Duxit ad Aonii sacra vireta jugi.
Quinetiam hesternæ reparans dispendia lucis
Splendidius menti jussit inesse jubar.
Quid miri? si regum epulas luxumque perosus
Stramineâ cupiam delituisse casâ.
Non modò cura die vindex et crastina pœna
Illecebris luxûs abstinuisse monent;
Nocte dapem hesternam sequitur dolor, horrida terrent
Somnia congestis turbida corda cibis.

IN NUPTIAS PRINCIPIS HÆREDIS BRUNSVIACI, ET AUGUSTÆ SORORIS GEORGII TERTII REGIS BRITANNIÆ.

A. D. 1764.

.....

SANGUINE Mars bellique tumultibus otia mutans
Adstat ovans thalamis, Cypria Diva, tuis:
Casside depositâ cadit ira, et corda vicissim
Ad sua componit munera blandus amor.
Non tuba, non currus, non illi spicula curæ;
Victorem gratâ compede Diva tenet.
Sic modò Brunsviaci, patruo duce, nominis Hæres
Fudit Galligenûm, Drusus ut alter, opes.
Jam belli satur et famæ, potiora triumphis
Fœdera conjugii, qualia nectit Hymen,
Ambit ovans; tua enim facies, atque inclyta virtus
Laurigerum accendit, regia Nympha, ducem.
Sat bello lacrymisque datum: tibi magna merenti
Præmia militiæ, maxima donat Hymen.
Nobile par! primos Brunsvicî hic poscit honores
Stemmatis, Angliaci Cæsaris illa soror.
Mutua plus solitis tanguntur pectora flammis,
Unus enim jungit sanguis et unus amor;

Cognatique Patres, eademque ambobus origo;
Ille suæ dignus stirpis, et illa suæ.
Germanis tulit illa duces, regesque Britannis,
Libera queîs populus jura colenda dedit.
Culmine sic gemino surgit Parnassus, habetque
(Digna Deis sedes) culmen utrumque Deos.
Vivite felices! æternum nutriat ignem,
Quo jam vestra calent corda, perennis amor!
Non ita gaudebant Britones, cùm nupta rebelles
Henrico tandem junxit Elisa rosas:
Nec plus lætitiæ affulsit, cùm Georgius alto
Consortem accepit te, Caroletta, toro.
Brunsviacâ similis frondescat ab arbore ramus;
Virgaque succrescens aurea semper erit.
Sponse domum redeas; nec te nimis, optima Virgo,
Pœniteat patrios deseruisse lares:
Unde genus ducis, tellus tibi avita petenda est;
Pone metus generi tradita Nympha tuo!
Dives aquæ geminum sic fons discurrit in alvêum,
Didita diverso flumine rura lavans;
Mox coëunt latices, amnisque meatibus auctus
Cognatas juncto vortice volvit aquas.

NON EADEM EST MENS, NON ÆTAS.

A. D. 1765

.....

VERE novo tepidis fovet arva Favonius alis,
Dædalus & vario flore renidet ager;
Mox simul Autumnus decerpserit arbore fruges,
Nec mora, deformi fronte recurrit hiems.
Sic homo, dum tepidus crebro salit impete sanguis,
Dum spargit nitidas festa juventa rosas,
Ingenio audaci fidens Heliconia visit
Culmina, pennipedem flectere doctus equum.
Astra premit gressu, fruitur sermone Deorum,
Laurea de sacro monte tropæa rapit.
Verùm ubi torpor iners tristisque ingrata Senectæ
Vincula tardatos implicuere pedes;
Membra rigent, lassosque agitans crudeliter artus
Tussis anhelantem vexat acerba senem.
Mens etiam senium patitur; nec, ut ante, Camenas
Excolit, aut lepidis convenit illa jocis.
Frangite jam calamos, monitique quiescite vates,
Queîs sua sunt canâ tempora sparsa comâ.
Fronde semel vinctus palmâque potitus amatâ
Lætus Olympiaco cespite cedit equus.

Plausus abit celeri felix gladiator arenâ,
Ostentans variis livida membra notis.
Ætatisque memor dominus, veterumque laborum
Emerito phaleras demere novit equo.
Nævia, dum teneras imitaris cana puellas,
Multa in deformem quisque jocatur anum.
Phylli, tuos furtim componit gratia motus;
Nævia, ridiculâ mobilitate salis.

ET VARIAS USUS MEDITANDO EXTUNDERET ARTES.

A. D. 1758.

.....

QUALIS ubi moles crudi indigesta metalli
Terrai latet in gremio, non clara tuenti
Bacca, nec hirsutâ rubigine putris iaspis
Emicat, artificis donec confessa labores
Principis intexet crinem, aut decus addita nymphæ
Luctantes strophio cinget radiante papillas.
Talis in obscurâ primùm caligine mersa
Mens hominis (licet huic divinæ præbuit auræ
Particulam, propriumque dedit Pater ipse vigorem)
Torpuit; offusas Ratio dum lampade nubes
Dispulerit, durisque urgens in rebus Egestas
Jusserit occultas meditando extundere vires.
Scilicet adversos quum funderet humidus imbres
Auster, et hibernis horrerent arva pruinis;
Tum patulis primùm circumdare frondibus artus
Triste gelu, sectoque pedes firmare coëgit
Cortice; quum nec adhuc bombycis serica fila,
Texta nec humanum vestirent vellera corpus.
Postera mox ætas congesta mapalia cœno
Exstruere edidicit, pluviisque impervia nimbis

Tecta; sed elatis nondum domus alta columnis
Simplicius Tusci robur, Graiive superbum
Sensit epystilium, variosque ex ordine flores
Composito; tantùm sectis tecta horrida tignis
Cernere erat, cannâque levi, crassæque paludis
Durato concreta luto; neu fervidus ardor
Æstivi findat solis, neu tristis aquäi
Subruat exiguos vis insidiata penates.
Nunc etiam saxo flammas elidere, et igne
Artifici reparare focos, nunc semina sulco
Mandare, et certo præscribere limite campos,
Aut stabulis cohibere greges; hinc alma colonus
Vota, Ceres, tibi rite facit; tibi, Termine, præses,
Cæde novâ tepidas agnus tener imbuit aras.
Non tamen omne malum miseri, nec funditus omnes
Evicere simul pestes; nunc grandine denso
Insequitur fatalis hiems, dum turbine campos
Verrit atrox Boreas, pluviamque ex æthere toto
Præcipitat, plenasque frequens gravat imber aristas;
Protenus agrestis submersa canalibus arva
Sulcat, et in bibulas deducit flumina fossas.
At si terra gravi solis malè torpida curru
Ferre neget frugem, vel ovis morientibus herbis
Langueat, exiles montano e culmine rivos

Elicere, et scatebris recreare sequacibus agros.
Quin variis opus est armis; quid segnia plaustra,
Quid referam ilignas crates furcasque bicornes,
Aut fractas rastris vel iniquo vomere glebas?
Queis sine, nec gravidâ flavescit fundus aristâ,
Mollia nec pressis liquuntur vina racemis.
Scilicet adversæ mortalia pectora curæ
Exacuunt, nostro cedit Natura labori,
Explicat et rerum causas invita latentes.
Vidimus hinc liquidis ferrum fornacibus ultro
Induere ignotas species; hinc stridula serra,
Hinc cunei, nexusque graves, lentisque bipennis
Ignibus agricolæ varios sinuatur in usus.
Nequicquam mediis cœli prudentia terras
Dissociavit aquis, nequicquam litora longè
Dant gemitum pulsante salo, ventique minaces
Circum saxa fremunt: crebris, en, victa bipennis
Vulneribus quercus descendit montibus altis,
Artificique manu tandem formata, tumenti
Invehitur fluctu, et pelago dominatur aperto.
Hinc alio terræ panduntur sole calentes,
Dantque alios aliæ fructus; hinc tincta beatas
Lana rates onerat; gemmas hinc viscera terræ
Submittunt; hinc electrum cæsosque elephantos

Angliaci referunt, Orientis munera, nautæ.
Artibus his, gemino facimus commercia mundo
Securi: portu jam Gallia clausa latescas,
Non tibi jura maris: testetur America nuper
Devicta; (heu quanti stetit hæc victoria nobis)
Quin Senegalis aquæ testentur, et Indus uterque,
Anglia quàm fortes animos, et vivida bello
Corda ferat: queîs non epulæ nocuere repostæ;
Sed labor, et gelidi dura inclementia cœli,
Sed parta innumeris longa experientia bellis
Erudiit genus acre virûm, atque in utrumque paratum,
Aut campos rastris colere, aut quatere oppida bello.

Κακὸν μακάρεσσιν ἐρίζειν.

A. D. 1759.

.....

VIDIMUS ut certo labantur sidera motu;
Ut repetant justas lunaque solque vices;
Ut zephyri eliciant verno de cortice gemmas;
Ut viduet foliis aspera bruma nemus;
Aëris ut campos, terrarum ut regna Creator
Clauserit effuso dissociata mari;
Vidimus; ast audax Epicuri atque impia proles
Sustinet in magnos dicere verba Deos.
Flet nimium fecunda Parens, in flebile saxum
Quam gravis incensæ verterit ira Deæ:
Penthea supplicium manet: haud impune Minervæ
Tractavit tenues æmula nympha colos:
Inarime Jovis imperiis imposta Typhœo
Impia congestâ corpora mole premit.
Ite leves animi, quos vana et ficta secutos
Nullus habet veræ religionis honos.
Est Deus; iratum neque sontis victima Numen,
Ara nec instantes flectet onusta minas.
Hunc tamen haud frustra pietate insignis adorat,
Sint sine ture aræ, sint sine luce foci.

Ipse ausus vetitam Cæsar molirier ædem
Ultoris sensit vim rabiemque Dei:
Sat Pharao, cœloque acies invisa, Jehovæ
Vindictam in mediis mersa fatetur aquis:
Et Satanam cœli imperium haud impune petentem
Sæva lacessiti deprimit ira Dei:
Cui miseros imis Orci in penetralibus artus
Ignis inexhausto sulphure mistus edit.
Sit Deus o tutela suis columenque Britannis;
Sit labor his ultro demeruisse Deum.

Ἄγγελος ὄρνις.

.....

O VOS quæ tremulo tranatis sidera cursu,
Tu tamen ante alios, Turtur amice, fave.
Ipse tibi fidos tradam securus amores,
Molliaque ad dominam verba ferenda meam.
I levis, i, fugias, o nostri conscius ignis,
Poscit enim dominus, poscit amator opem:
Cingit at invictos numeroso milite muros
Hostis, et ipsa minax æquora classe tenet;
At vetat, absenti mittatur epistola nymphæ;
Nulla patet terris semita, nulla mari:
Restat iter cœlo; cœlum non possidet hostis,
Et tua tota mihi, Jupiter, aula patet.
O amimi miserere, Venus, non digna ferentis!
Audiit assiduas aurea Diva preces;
Audiit, et curru properat junxisse columbas;
(Exiguo junctas verbere lassat Amor)
Ilicet advenit, placidàque ita voce; "Calores
"At tibi quæ tulerit pulchra puella novos."
"O dominæ, Cytherea, tuo (nec magna requiram)
"E numero fidam mittere detur avem.

" Basiaque, et gemitus ferat, et pia vota columba;
" Parva licet, magni muneris instar erunt."
En, ubi sublimes vicino sole volatus
Gyrosque ancipites pendula ducit avis:
Flosculus ore nitet, sinceri pignus amoris,
Et gratum a collo litera pendet onus.
Nec mora, quin cœli properans per inane sereni
Aërium lapsu præpete radat iter.
I levis, i, fugias! neque enim vigilesve timores,
Aut spatium ingratæ fert mea flamma moræ.
Ah! ne sistat hiems, ne terreat Auster euntem,
Ira neque incœptum plumbea rumpat iter.
Inter odoratas myrtos, et amœna rosarum,
Fas erit in dominæ delituisse sinu.

Ὁδῷ ἔπι οἴκια ναίων.

A. D. 1763.

.....

TANDEM officinam et vincla mercenaria,
Jam senior, et firmus parum,
Relinquit Alphius, ut fruatur otio
Cum dignitate rusticus.
Ergo caballum, cui nec oculi, nec pedes,
Qui fracta ducit ilia,
Curru vetusto jungit, et juxta sedent
Et uxor et Marcellulus.
Cum mille vix processerat passus, nitor
Utrumque ruris percutit.
Non cessat importunus hic spirabilem
Mirarier Favonium,
Cœlum, viamque; tollit uxor narium
(Lilia rosasque) copiam.
Nec mora, penates fœnerator sordidus
Ruris recessu collocat;
Viamque juxta, quà diurna munera
Commune plaustrum conficit,
Foresque commodissimè præter fugit,
Et uxor, et vir assidet.

Jam se beatum rure clamans Alphius
Nidum suburbanum fovet,
Texitque, murum subruens, repagula
Ritu novo Sinensia.
Cadit bipenni pinus occludens viam,
Et scena rerum panditur.
Non hîc susurro lympha leni murmurat,
Non aura per silvas strepens
Suadet quietem; currus at prætervolans
Hîc stridet axe fervido;
Equique vicus verberatus ungulis
Secura rumpit somnia.
Non hîc volucres, ruris incolæ, nemus
Dulci querelâ personant;
At piscium tritæque vestis venditor
Clamosus obsidet fores.
Non hîc obumbrat spissa quercus aream,
Sed villa nube pulveris
Nigrescit, et rotantibus fumus novum
Obscurat atrium globis.
Non hîc per hortos vel Diana cernitur
Redimita frontem floribus;
Nec cum recurvâ falce Silvanus, ferens
Opima ruris munera;

Ast hîc locantur plurimi Cupidines
  Arcu vibrantes spicula,
Venerisque Adonis annuens amoribus,
  Et indecoræ Gratiæ.
Ruris latescit Alphius sic nidulo,
  Fruiturque solitudine;
Nisi cùm tribules hospites stipant focum
  Malè feriati Sabbato.

DONATUS RUDE.

A. D. 1766.

.....

HACTENUS, et decuit, teneris indulsimus annis,
Otiaque Aoniæ blanda dedere Deæ;
Hîc levibus sit meta jocis, hîc terminus esto,
Me vocat in vastos fortior aura lacus.
O domus, o sacro venerandæ culminè turres,
Quà colit Henriacos fida Minerva rogos;
Et tu, quem teneræ præludia prima juventæ
Sæpius in placidis detinuere vadis,
Alme Pater Thamesine, vale, saltusque virentes,
Silvaque, quæ ripas cingit opaca tuas.
Jam vel arundineam Cami spatiabor ad amnem,
Vel procul a patriâ dissita regna colam.
Quà Rhodanus Rhenusque fluit, claroque superbus
Gurgite Parrisios Sequana ditat agros.
Cara mihi ante alios, quos hæc habet ora, Juventus,
Vive, vale, et vestros fletibus adde meis.
Non quòd ego has dulces silvas, et amœna vireta,
Et faciles cogor destituisse choros:

Sed quia Musarum * Princeps, quo præside nuper
Trivimus Aoniis tempora verna jugis;
Non iterum vestras formabit ad optima mentes,
Puraque Castaliis imbuet ora scyphis;
Care, vale! non verba iterum modulata licebit
Tradere judicio discutienda tuo.
Te majora vocant, te sacra Ecclesia jussit
Inter honoratos nomen habere patres.
I felix, cultusque pios, ritusque verendos,
Sanctaque divini protege jura Patris.
Ast abiens humilem ne dedigneris alumnum,
Agminaque in titulos officiosa tuos.

* *Dr. Barnard.*

IN OBITUM AUGUSTISSIMI PRINCIPIS GEORGII SECUNDI. A. D. 1760.

.....

MELIBŒUS.

MIRABAR quid sic hesternâ nocte jacentem
Turbarent pavidis somnia imaginibus;
Quid furtiva ægro effluerent suspiria cordi,
Quid tacito premerer nescius unde metu.
Visa mihi infectos Clio fugisse triumphos,
Melpomene inversæ visa præesse lyræ.

THYRSIS.

Nec frustra præsaga novi, Melibœe, doloris
Excubat in madidis pallida cura genis.
Nec frustra, quæcunque tuos Dea temperat ictus,
Lenta negat solitâ tendere fila manu.
Eloquar? an sileam? si quid pia vota valerent,
Staret adhuc populi Rex, patriæque Pater.

MELIBŒUS.

Proh dolor! hoc Geniusve loci, Dryadesve puellæ
(Nunc recolo) certis præcinuere modis.
Grata operum fessis stetit ulmus opaca colonis,
Umbra stetit pagi sera decusque mei;

Quæ vento vix tacta cadit, campoque videtur
Paulatim annosum deposuisse caput:
Et, mea dum gelido solabar corda sub antro,
Dux gregis orbatos concidit inter oves.

THYRSIS.

At neque præmaturus obis, neque degener heros,
Sera at honoratum sustulit hora senem.
Ah! quoties tecum tantis malè laudibus æquus
Ausus eram infandum concinuisse decus:
Mirantum pariter, pariter pia facta canentum
Falleret æstivum vox et arundo diem.

MELIBŒUS.

Parta rebellantis referentem insignia Scoti
Te memini nostris festa dedisse focis:
Victa per incisas se pandit America quercus,
Crescit et arboreis Myndia palma notis:
Fudit opes pleno te principe Copia cornu,
Principe te proprios vertit arator agros.
Nec cultis lolium infelix dominatur in arvis,
Nec steriles segeti nectit avena moras.
Lurida nunc taxus, nunc funereæ cyparissi,
Atra triumphantes polluit umbra comas.

THYRSIS.

Nec saltem huic socias fas invidisse querelas,
Vim dedit in numeros materiemque meos.
Ah! mihi si patriæ luctus minuisse liceret,
Filaque præsectæ restituisse colûs,
Tum patrias ultra metuens dominarier oras
Invalidas gemeret Gallia fracta minas.
Arva redux, jamdudum exul, pax nostra bearet,
Verteret et positâ casside miles humum.

MELIBŒUS.

Ast abiit; patrium ingreditur novus incola cœlum;
Fulget in Angelicos stella recepta choros.
Te tua rura colent, pecorum te rite magistri;
Tu Deus agricolas, tu tueare greges.

CHORUS EX SOPHOCLIS ŒDIP. COLON. V. 1099.

A. D. 1758.

.....

O QUIS volentem me Deus auferet?
Quis sistet? heros quà dubium ciet
Uterque bellum, quà sonore
Horribili tuba rauca Martem
Pugnæ cruentum devocat arbitrum; aut
Phœbi in remoto litore Pythici,
Aut consecratam quà tavillam
Et vigiles ubi fida tedas
Ministra servat; cui labia aureæ
Custos Eleusis mystica comprimit
Clavis sigillo; quæ roganti
Ambiguas aperire, sortes,
Et cæca novit fata recludere.
Stant signa: pulsus Thesea jam Creon,
Victæque turmæ, perfidique
Jam fugiunt comites sequentem.
Cernis? trementes jam prope candidas
Venere rupes, jam trepidant equi,
Currusque deflectuntur Œæ
Prata per occiduæ. Quid audax

Prædator, aut quid sacrilegæ manus
Contra potentem Theseos impetum,
Martemque nostrum, bellicasque
Cecropidûm potuere vires?
Quin et refulgent splendida lucidi
Lupati freni; quin phaleras equus
Indutus instat; quin cruentos
Urget eques furiosus armos,
Quicunque, Pallas, te colit, Atticæ
Tutamen oræ, teque, pater maris
Neptune.—Num pugnas lacessit?
An rapidas satiavit iras,
Natamque Theseus pollicitus, manu
Raptam Creontis, restituit patri
Jam victor, insignique læsum
Supplicio decus arrogavit.
I, sparge justas vindice dexterâ
Impune cædes, scilicet agmini
Dux ipse vires subministrat;
Me dubiæ jubet ipse pugnæ
Sperare faustos Jupiter exitus.
O quis Deorum, quis mihi præpetes
Aptabit alas? quæ columbæ
Me similem feret aura, cœli

Per celsa vectum? Desuper agmina
Detur tueri, te spoliis procul
Insignem opimis, te Creonti
Et domitis dare jura turmis,
Invicte Theseu. Te Superûm Pater
Honore signet; nec Jovis inclyta
Minerva proles per catervas
Impavidè attonitas ruenti,
Phœbi nec absint numina; nec soror
Diana præsens auxilium neget;
Non segnis aut damas volantes,
Aut celeres agitare cervos.

Δὴν δέ μιν ἀμφασίη ἐπέων λάβε.

A. D. 1762.

.....

OCCULTIS animum stimulis ubi cura lacessit,
Sauciaque internus pectora luctus agit;
Totum consentit corpus, certumque doloris,
Nec mora, testantur conscia membra modum:
Nunc trepidum pectus celeri cor verberat ictu,
Guttaque purpureas irrigat orta genas;
Pulsatæque tremunt agitato sanguine venæ,
Intimaque ardescit lapsus in ossa calor.
Ista quidem produnt tolerandos omina luctus,
Pectora cùm subito mota furore tument.
Qui strepit, in solitum torrens se contrahet alveûm,
Et decrescentes margine claudet aquas:
At quà se tardo vix trudunt flumina cursu,
Volvit inexhaustos, dum tacet, unda sinus.
Sic ubi mens nimiâ curarum mole fatiscit
Certa repentinum signa fatentur onus.
Confestim membris irrepsit frigidus horror,
Et sensus subito diriguere gelu;
Pallida labra tremunt; capiti stupor insidet altus,
Torpet et immodico lingua retenta metu:

Nec flecti cervix, nec brachia reddere gestus,
Nec possunt solitos figere crura gradus:
Occupat immotos caliginis horror ocellos,
Et prope vitalis deserit ossa calor.
Sic statua auratis tumulo superincubat alis,
Et vultu queruli signa doloris habet;
Saxea luminibus defixis gutta rigescit;
Hærent marmoreo crura retenta solo.
Sic doluit fecunda parens, quam flebile saxum
Prægravis infensæ fecerat ira Deæ;
Exanimes inter natos natasque sedebat
Luctibus indulgens, diriguitque malis.

MOBILIS AER.

A. D. 1784.

.....

TERRAI supra tractus camposque patentes
Mobilitate levi passim diffusilis aër
Spargitur, et vario revolutam pondere massam
Circumiens, parili fertur per inane volatu.
Quò magis at superos paulatim ascendit ad ignes
Rarescit sensim subtilior, et glomeratas
Dispergens nebulas exhalatosque vapores
Temperiem servat tenuem.—Sic valle reductâ
Particulas aër gravidas nebulamque nigrantem
Concipit; at montis sublimi in vertice nubes
Diffugiunt, puroque albescit tramite cœlum,
Et placidâ circùm venti regione susurrant.
Altam quære fugam, quà se liquidissimus æther
Expandens agitur vacuo; non vescier aurâ
Hâc animal, neque novit homo; quia tenuior aër
Turgida luctisonis singultibus ilia tendit,
Pulmonum et raro perrumpit flammine cellas.
Densior ast omni terrarum parte meatus
Subtiles aër penetrat; non planta, nec arbor,
Non altis auri defossa metalla cavernis

Excludunt vires; minimos nempe ille recessus
Exploràns, omni furtim se corpore miscet:
Ipse etiam arctatâ conclusus sede, aliena
Ocyùs expellit, victorque per omnia regnat,
Nî fòrs compressas data copia fundere vires.
Machina sic patulo descendens ore profundum
Non bibit oceanum, frustra obluctantibus undis
Aëra conclusum objiciens, fluctusque repellens
Securam figit depresso in marmore sedem.
Scilicet hinc imas tuti lustramus arenas,
Et rarum æquoreis jaceat quodcunque latebris,
Eruimus; flatus nam fistula aperta salubres
Desuper infundit, dum tetros altera odores
Elicit, humano quos dudum spiritus æstu
Evomuit, putremque infecit flamine molem.
Quid proprias memorem dotes? ut mobilis illuc
Huc fluat.—Alitibus cedit nitentibus aër,
Et liquidos aperit calles. Sic missa per auras
Clara repercussos sonitus vox reddit, et Echo
Assonat ingeminans; neque enim sine flamine cantus
Lingua refert, tremulæque patet via libera voci;
At clausa in vacuo nullum campana sonorem
Icta dabit, mistumque nitrato pulvere sulphur
Vel minimo feriet nervos auremque fragore.

Nec minùs externo gravis aër pondere palmam
Deprimit, exhausto cùm flamen mobile vitro
Subtrahitur; fixam subitò gravitate superne
Incumbens aër tenet, et densissima circùm
Congeries; neque enim validis vis insita membris
Ex arctis possit captivam exolvere vinclis.

Quinetiam phialam vesica extensa per omnem
(Aura intus spatio si subducatur inani)
Decidet, et rauco cum murmure rupta crepabit.
Hinc etiam cœli faciem, et mutabile pondus
Aëris invenies; seu densos nubila tràctus
Obscurant; purove calens rarefacit æther
Flamine et in partes commotos dissipat imbres.

Sume tubum vitreum, vivique infunde metallum
Argenti; (at cave, ne rimis subtilior aura
Tenuibus irrepat) tum si libramine justo
Albescens massa exurgat, placidissima fulget
Temperies; aut si nebulas obscurior aër
Deducat, tubuli descendit in ima metallum.

Huc etiam mentem advertas; tenuissima motum
Aura habet internum, quæ libera nisibus uti
Occupat insolito spatia infinita tumore;
Hinc resilit vesica hausto cratere laborans,
Et superimposito tollit cum pondere saxum.

Scilicet, urgentis cœli gravitate remotâ,
Indignans aër magno cum murmure circùm
Luctatur, cupidusque fugæ latera omnia pulsat.
At magis ipse aër condenso conciliatu
Sæpius arctatur; vescicam hinc impete plenam
Deprimit insolito, et leviores cogit in unum
Particulas, æquam ut sibi se libramine reddat.
Quid referam, variæ varios aptentur ad usus
Aëris ut species? Fixus primum æstuat, haustis
Vitriolo et cretâ; flatus bibit unda salubres
Splendidior, gustu hinc citiùs coacescit acerbo,
Et Pyramontanos imitatur flumine fontes,
Vi medicâ putres sanans in corpore morbos.
Particulas tenues colliso ex ære recondas
Vasibus exiguis, acido nitroque potentes
Desuper infundens latices; color ocyùs ater
Effervit, mistisque enata vaporibus aura
Communem absorbens tenuat minuitque premendo.
At cum limati grana effulgentia ferri
Vitriolo coëunt, extemplo flammeus aër
Exoritur volvens ardentes æthere fumos.
Italiæ haud alios intus speluncâ vapores
Ingenerat, sævamque exhalans fauce mephitim
Ore tonat vasto. Tales inclusa fodinis

Infestas coquit aura faces, quà vena metalli,
Aut turgens crescit graveolenti sulphure carbo.
Scilicet in clausas si flamma immissa latebras
Ferveat, horrendo jam jam specus ardet ab igne;
Et ruptas moles, divulsaque fragmina saxi,
Artificesque ipsos rotat ater in æthera turbo.
Quinetiam igniferæ corpuscula materiäi
Mobilitate vigent, densatumque aëra cursu
Exuperant. Sophus hinc mirandâ Gallicus arte
Ætherias tentare domos convexaque cœli
Edocuit: tensis hinc claudit follibus auras,
Illinit et cerâ piceoque bitumine rimas,
Ne levis exiliat per rara foramina flatus.
Nec mora; quin celso vastum per inane volatu
Ascendit moles; ipsis jam nubibus hæret,
Cœlestique oculos fugit omnes tramite.—Turba
Attonitis inhiant animis, et lumine fesso
Aërium mirantur iter. Quin ipse sub auras
Ultro audax opifex, velut alter Dædalus, urget
Ignotâ regione viam, despectat et urbes
Subjectosque viros.—At ne me suadeat auctor
Insanum ferri comitem; quòd si æthere nubes
Forsitan igniferi turgescens semine cœli
Obvia collidat, flammai intrinsecus ardor

Insolito erupit motu, fulgurque trisulcum
Perscidit horrisono displosum murmure follem.
Si tamen hanc certâ moderarier arte liceret
Per spatium omne poli, quis puras ætheris oras
Scindere non vellet, potiùs quàm ferre rotarum
Tædia, terrenos et circumflectere cursus?
Tum vecta aëriis veluti per summa quadrigis
Sidera longinquos latâ regione planetas
Turba volans peteret, qualis (sic fabula vatum)
Insidens longo Lapponica saga bacillo
Dicitur aërias noctu celebrare choreas.

* NATURA DOMINETUR.

A. D. 1778.

.....

QUID prodest, mea Chloris, indecorâ
Tam bellam temerare amabilemque
Cerussâ faciem? quid allaboras
Indignos nimis ordinare crines?
Nam dives, miserâque major arte,
Naturæ manus ipsa delicato
Pinxit sat teneras rubore malas;
Et cervice vagos sat eleganti
Cultu disposuit, puto, capillos.
Ergo, ut per gelidam, notes, libenter
Vallem lympha ruat loquax, susurrans
Cultu dulcisono, ut morata paullum
Lene inter teretes strepat lapillos:
An sic compositis sonaret undis
Si ducta artificis foret labore?
Quin tu pallidulos puella flores
Halantis violæ, novique ridens
Veris lilia seligis, sed almæ
(Florentem capiti implicans corollam)
Naturæ reputes, precor, decorem.

Nam quales tibi simplices renidet
Ostentans breve lilium colores;
Sic, cultum quoties solutiorem
Formosis adhibes genis comisque,
Sis neglecta licet, places amanti.
At tandem, mea nympha, parce palmis
Argutis nimiùm et laboriosis
Vultum fingere, liberæque collo
Latè luxurient comæ, genisque
Nativus roseis color rubescat.
Sic simplex, malè jamdiu fugata,
Desuetos renovet Venus lepores.

PHÆDRA LOQUITUR.

.....

URIMUR, et mentem scelus atque insania versat,
Urimur, et quod amo dicere lingua nequit.
Hîc et amor rapit, et furiis agitata libido;
Hîc matronalis conscia corda pudor.
In me demittant sua numina quisque Deorum,
Cuncta feram, sed vos Dî prohibete nefas!
Omne tamen fœdum cumulavit nostra libido;
Brutorum haud talis corda momordit amor.
Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis,
Pronuba nec Juno, nec violatus Hymen.
Quando ego te, Juvenis, plusquàm pia mater amavi,
Et tibi, quod nato non decet esse, fui.
Ite procul malè pacta fides tristesque Hymenæi,
Tedaque, sub nostros dignior ire rogos.
Deprecor hoc unum, culpas modò terminet Orcus;
Conscia non pœnas mens satis una luit?
At tu, care puer, melioribus utere fatis,
Quem timet infelix dicere Phædra suum.
Ipsa, tuum quoties nomen mœsto excidit ore,
Flagitium videor commemorare meum.

Exprobrat incestæ virtus tua pura novercæ;
Impia quid dubitas impia Phædra mori?
Ergo lux valeas, castique valete penates,
Admisso et nondum crimine pura domus!
Ast ego (si qua pios tangunt opprobia Manes)
Umbra ero in Elysiis irrequieta plagis;
Casta tamen moriar; sic, sic, juvat ire sub umbras,
Sic liceat læso posse placere viro.

PHILOSOPHIAM DEVOCAVIT E CŒLO.

A. D. 1763.

.....

I, VIAM monstrante Sophiâ, et evagantes ordina
Æquoris fluxus, refluxus; quære, quantis viribus,
Legibus queîs intumescant concitata marmora,
Unde strata mox residant: arbiter cœli, vices
Dirigas gyrosque siderum meantium:
Fac vagos jussis planetas orbibus revolvier:
Solis ortus atque casus corrigas: lunæ faces
Comprimasque proferasque. Quin veharis altius,
I, scientiâque fretus emices audacior;
Scande cœlos; i, Jehovæ suggeras queis legibus
Angelos gubernet: inde, stultus atque ineptiens,
In tuum descende pectus. Tune cœlorum potens,
Siderumque, marmorisque, non adhuc potens tui?
Num scientiâ coerces pectoris libidinem, et
Fluctuantis mentis æstus? num carens erroribus
Purus audis? O beatus, quisquis illâ prædítus
Castitate, sternis æstus corde, virtutis simul
Instruens ad altiora rite pectus munia.
Cur juvat fluenta ponti et astra contemplarier?
Si quid errent, tune figis orbitas errantibus?
Te statim jubente certis ordinantur legibus?

Fingat ad majora mores corrigens Prudentia,
Et potens Ratio sui. Tu disce, quid sit vivere,
Quid frui vitâ; Sopho sunt ista digna munia.
Unde nasceris ipse, nescis; tune nosces sidera,
Unde surgant, quove tendant? Ah! tumens superbiâ,
Irritoque vane fastu, deseras sublimia;
Corda perscruteris intus, quà latet pravum scelus,
Prava suggerens; futuri supprimas causam mali:
Hoc jubet ratio, atque virtus. Torquet iracundia
Pectus? eruas, proculque sæva pestis exulet.
Urget ambitio? coerce. Livor angit? invidos
Protenus compesce motus: hanc scientiam sequi
Non nefas, nescire turpe est; si quid ultra tendimus,
Obstat ingruens ocellis nubilorum densitas.
Sin colamus studia nostis aptiora mentibus,
Scire nosmet hæc licebit: veritatis et comes
Irritis soluta curis, irritis laboribus,
Ipsa tranquillabit æstus turbidi cordis queis.
O sophorum magne princeps, o verende Socrates,
Devocabas rite cœlis incolam scientiam;
Devocatam tu jubebas cœtibus mortalium
Interesse; te potentem moribus probis sophum
Improbas formare mentes ipsa virtus incitat,
Ipsa virtus te suorum rite patronum colit.

VOTA DEUM PRIMO SOLVEBAT EOO.

A. D. 1764.

.....

JAM lucos et rore recentia prata vaporans
Sol jubar oceano extulerat, tremulisque coruscam
Scenam interlucens radiis, penetrabat Adami
Felices latebras: zephyrorum mollia flabra,
Murmur aquæ procul, et volucrum modulamina somnos
Leniter excussere. Pater primævus, et Eva
Æthere purpureo surgentem Hyperiona cernunt,
Et matutino solvunt pia pectora cantu.
" Hunc solem, et cœlos, Genitor, tua dextera finxit
" Omnipotens; vasti miranda hæc machina mundi
" Tota tua est: multo ipse magis mirandus opacâ
" Nube sedens, nostro non enarrâbilis hymno,
" Mortales, visus, et inania lumina fallis.
" At licet ætheriâ nebulis præcinctus in aulâ,
" Numen inaccessum, lateas; æterna refulget
" Gloria, divinumque decus; manifesta potestas
" Panditur, et minimis legitur sapientia factis.
" Vos Genii, æternæ lucis formosa propago

" Dicite, Cœlicolæ ! meliùs memorare potestis,
" Vos spectatis enim : integris sine nocte potiti
" Solibus, illustri solium immortale choreâ
" Cingitis, et cantus certatim iteratis ovantes.
" Vos, o progenies cœli, et telluris alumni,
" Mane novum miscete melos; quo carmine primus,
" Et medius, summusque, et Rex celebrabitur idem
" Æternus. Tuque o, seu noctis sera catervas
" Præcipites, inter stellas pulcherrima, claudis ;
" Sive oriens matutinum sibi vindicat Eos
" Te comitem ; pignus, certæque decora diei
" Nuntia ; quæ gyro rutilantia culmina cœli
" Aurato redimis, cultu venerare recenti
" Supremum mundi Artificem, dum prima tenebras
" Lux fugat, eoasque novus sol temperat horas.
" Qui cursu assiduo lustras opera omnia, cœli
" Sol anima et lumen, seu scandis inania cursus
" Incipiens, mediove incedis fornice cœli,
" Sive cadis ; magnum æternâ pietate Parentem
" Rite salutabis. Tuque o stipata minori
" Luna satellitio, quæ luci obnoxia solis
" Occurris, pariterque fugis : vos Sidera noctis
" Sublustris comites, quæ vortice fixa volanti

" Perplexum peragratis iter, resonate per orbes
" Ætherios plausu, festosque attollite cantus.
" Jamque super sphæram stellis errantibus aptam
" Cantetur Deus, ille Deus, qui primus abysso
" Informi harmoniam, et lucem ex caligine duxit.
" O Elementa, emersa Chao, princepsque recentis
" Naturæ partus, quæ vos primæva Creatrix
" Alterum ab alterius variâ indiscreta figurâ
" Finxit, dissimilique dedit coalescere motu.
" O qui, te fratrum communi semine miscens
" Aër, quadruplici circum vortigine curris
" Cum sociis, nutrisque pari simul omnia cœtu,
" Usque novas varians, tua vectigalia, laudes
" Solve Deo. Nebulæ tenues, cæcique Vapores,
" Quæ fusco de monte procul, bibulâve palude
" Fumum exhalatis, sinuato assurgite flexu
" Numen adorantes, dum sol nebulosa relaxans
" Spiramenta, auro candentia culmina pingat:
" Vos o (seu variâ decoratis inania nube,
" Sive per arentes descenditis imbribus agros)
" Surgentes pariterque Deum celebrate cadentes.
" Illum etiam, liquidi Fontes, qui volvitis almam
" Prata per et cursu vitreisque canalibus undam,
" Ad mare præcipites lapsu memorate loquaci.

" O qui per cœlos motatis flabra quaternos,
" Venti! pars levibus placidi spirate susurris,
" Pars fremitu ingenti, et rauco exultate tumultu.
" Vos Quercus, celsæque pio submittite nutu
" Frondiferos apices umbrosaque culmina Pinus.
" Cuncta simul voces communi animalia cantu
" Ingeminate! Chori volucrum, qui vertice nidos
" Aërio struitis, cœlique ascenditis aulam,
" Cantum assurgentes crepitanti ad sidera pennâ
" Tollitè, et ingentes efferte per æthera plausus.
" Squamigerum pecus, æquoreæ gens salsa paludis,
" Terrigenæque simul, quicunque aut curritis alto
" Incessu, aut humili segnes reptatis arenâ,
" Vos testor si mane preces, si vespere nostri
" Concentus sileant: silvæque et flumina latè
" Perpetuos referent cantus; iterata sonabit
" Carmina mons circùm, recinetque reciproca vallis.
" Tu tamen, Omnipotens, felicia solus amicâ
" Dona manu tribuas, et si concreta fefellit
" Per noctem labes, quæcunque est, excute nostris
" Pectoribus; fugat hâc veluti Sol luce tenebras."

ANIMI MOTUS.

A. D. 1778.

.....

DUM sero Iapeti sololes vexata dolore,
Heu! claustra omnigenis flebat aperta malis;
Prosiluere hominum pestes, prædamque paratam
Corripit infensi quæque ministra Jovis.
Lurida tum rapido prævertens omnia passu
Nescia propositi se tulit Ira sui:
Invidia, alterius rebus dolitura secùndis,
Secreto furtim labitur ægra pede:
Adversæ vanâ tremefactus imagine sortis
Palluit exangui decolor ore Metus:
Hîc Pudor, occulto inficiens præcordia tabo:
Soliciti hîc tortor pectores ibat Amor:
Gentibus hic gaudet victis fusoque cruore
Ambitio, vanæ laudis adusta siti.
Sic Homini incumbit rabiosa caterva malorum,
Sævit et in meritos vindicis ira Dei.
Mitior at tandem vitæ mala respicit ultro
Jupiter, et furias temperat ipse suas.
Has pestes animo discordes jungit eodem,
Cogit et alternâ se cohibere vice.

Vim propriam dedit his, et turbida corda salubri
Utiliter rabie solicitare sinit.
Hinc, variis agitata ratis ceu labitur auris,
Decipit et longam mobilitate viam;
Sic peragit cursum propriis variata procellis,
Atque placet motu vita animosa suo.
Scilicet inde, gravi stimulat dum corda furore,
Belligeri ardorem pectoris Ira parit;
Inde Pudor, vitreæ metuens dispendia famæ,
Nobile virtutis conscius urget iter;
Ambitio dignam sese, quem captat, honore
Præstat, et est vitio nobilitata suo;
Æmulus est Livor probitatis factus, habetque,
Quod miser alterius viderat, ipse decus;
Et rigidos mollit mores, iramque serenat,
Et quæ discruciant pectora, lenit Amor.
Sic ubi letiferi diversa venena saporis
Docta Machaoniâ miscet ab arte manus,
Toxica dissimili inter se pugnantia viro
Innatæ extinguunt semina prava necis.

* CHORUS EX SOPHOCLIS ÆDIP. COLON. V. 700.

A. D. 1758.

.....

SALVE, beatis finibus Atticæ
Receptus hospes; quà patulis equus
Pinguescit arvis, et secundo
Marte fremit generosus ardor:
Quà sub virenti valle sedens graves
Inter corymbos, atque hederæ comam,
Lugubriori mœsta longum
Voce melos Philomela condit.
Has sicca valles stella Caniculæ
Adire nescit; nescit hiems graves
Inflare nimbos: hîc sorores
Thyrsigeræ stimulante Baccho
Circum choreas ducere gestiunt,
Utcunque flatu tibia convocat
Insanientes, et calescunt
Pulsa Deo propiore corda.
Fundit corymbos bis crocus aureos,
Omnisque passim copia narium;
Hîc unda Cephisi virentes
Ditat agros trepidante cursu.

Nec has sorores Pieriæ tamen
Sprevere sedes; quin Venus aureo
Huc axe dignatur relictâ
Flectere ab Idaliâ columbas.
His herba terris, his sine semine
Injussa floret, quam neque Dorium
Fecunda tellus, nec Caystri
Prata ferunt, neque dives Hermes.
O herba, Divôm munus amabile,
Potens timores incutere hostibus,
Cùm terra conjurata bellis,
Et sociæ fremuere turmæ.
In te furentem nec juvenum cohors
Senex nec ausus fortior impiam
Movere falcem; te Minerva
Tutam acie vigilante servat.
At ampliores jam placet Atticæ
Referre laudes, quam Deus arbitram
Præfecit undis, cui frementem
Fudit equum resoluta tellus.
Te rege sævas ponit equus minas,
Neptune; nam tu vincula doctior
Collo reluctanti, tuisque
Terga dabas equitanda Athenis.

Te, Dive, faustos currit in æquoris
Tuente, tractus prora; neque invidet
Nereique Nympharumque, remis
Pulsa, fugæ celerique Phorco.

DONEC VERBA QUIBUS VOCES SENSUSQUE NOTARENT NOMINAQUE INVENERE.

A. D. 1762.

.....

TEMPORE quo primùm vastis novus incola campis
Ibat homo, stetit ipse inter discordia rerum
Infelix elementa effusasque ætheris iras,
Nudus; eum mœsti circum doluere sodales
Multa revolventes intus tacitèque gementes:
Nam nec adhuc fidæ solatia mutua linguæ,
Aut suavi alternos nôrant lenire dolores
Alloquio, proprios nondum impertire labores,
Aut comitum junctas sibi fidi assumere curas.
Ut verò trepidis urgens in rebus egestas
Jussit amicitiâ primos coalescere cœtus,
Et junctis habitare casis sociâque sub umbrâ,
Nocturnisque lupûm stabulis avertere furem;
Tum primùm varios animi describere sensus,
Aut motu digitorum, aut pressi pollicis ictu,
Et tacitum alternis sermonem nectere signis.
Tum primùm foliis, et raso in cortice mentes,
Et tacitos sensus per convenientia signa
Depinxisse manu, molli vel inurere cerâ.
Talia et antiquis impressa insignia muris

Ipsa vetus Memphis, totâque Ægyptus in orâ
Jactat adhuc, priscæ monumenta hæc mystica famæ
Pyramidum moles, et fana ingentia Divôm.
Scilicet ut primas ignari gutture voces
Ediderant, varios linguâ neque fingere motus,
Dentibus aut premere, aut compressam scindere labris
Cognôrant, strepitus tantùm informesque loquelas
Continuasque rudi fundebant murmure voces.
Præcipuè si fortè furor, subitòve tumultus
Tangeret insolitus præcordia, vel dolor ingens
Ossibus arderet; tum immani more ferarum
Nescio quid fremere, et mugitibus imperfectis
Nequicquam clausos effari pectoris æstus
Tentabant: nam nec sermonem fingere nôrant,
Aut effrenem ultro cohibere in gutture vocem.
Non aliter quàm qui Phœbeæ pollice crebro
Fila lyræ illusus pulsat stridentia, vel quæ
Laxa nimis languent, nimis aut contenta laborant;
Nequicquam totos percurrens pectine nervos
Solicitat, tantùm fracta imperfectaque Musa,
Dissonaque attonitam vexat discordia mentem.
Irrita sic primùm miseris conamina lusit
Error, et optantes frustra spe multa fefellit.

Mox tamen aut lenis placidi clementia cœli
Effusos ultro tandem miserata labores,
Aut crebri motus linguæ, aut fors ipsa dolori
Imposuit finem, docuitque effingere voces,
Distinctosque sonos et certa excudere verba.
Obstupuere ipsi, et tum primùm poplite flexo
Laudavere Deum læti; tum nomina primùm
Exprimere, et certis potuere agnoscere verbis.
Tum primùm validas muniri turribus urbes,
Surgere et ignotis felicia messibus arva,
Idæoque levem descendere vertice pinum
Æquora lata super pelagique tumentia regna,
Cernere erat; lætæ placidam tum pacis olivam
Crescere, et innumero commercia fervere portu.
Marmora tum primùm et liquidos spirare colores
Jusserat ars; validique sonoro carmine plectri
Gestiit auritas deducere montibus ornos
Musa potens numerorum, et suavi pollicis ictu
Fallere Threiciæ minitantem tigridis iram.
O fortunatam nimiùm (sua si bona nôrint,
Auctorique Deo meritas persolvere laudes)
Gentem hominum! cui lingua datur, cui mira potestas
Et narrare suos, comitumque audire labores,
Et voce effari varios interprete sensus.

* CHORUS EX SOPHOCLIS ŒDIP. COLON. V. 700.

A. D. 1758.

.....

O QUIS recessus intrat amabiles
Hospes Coloni? quà placidis tumet
Jugis, odoratoque tellus
Delicias gremio remittit;
Quà per tenello gramine jugera
Impune visus ludere quadrupes,
Ovisque bis detonsa pellem,
Bis gravidas tumefacta mammas.
Huc tende gressus, quà chorus alitum
Inter virentes murmurat arbutos,
Quà suaviter lugens acerbos
Nocte iterat Philomela cantus.
Hîc et vetustam lætus obambulat
Silvam Lycæus, quæ neque militum
Iras, neque infensum bipennis
Verticibus trepidavit ictum.
O grata sedes! o placidum nemus!
Per quod sonoro murmure labitur
Cephisus, herbosasque glebas
Fonte rigat. Cytherea sancti

Præses Coloni, perpetuo tibi
Honore narcissus tenerum caput
Tollit, nec unquam halare cessat
Dulcis odor; tibi læta flavum
Submittit ultro terra crocum; tibi
Flores dicantur, quotquot amabiles
Sub vere nutrivit Favoni
Roriferi genialis aura.
At queîs olivam laudibus efferam?
Novis potentem viribus integros
Firmare nervos, et recenti
Vertere lætitiâ dolores.
At ne profani Palladis audeant
Fœdare plantam: terribilem ægida
Fert dira Pallas, dum Parentis
Ipsa sui jaculatur ignes.
Nec te silebo, te, Sonipes, novum
Decus Coloni; quem maris arbiter
Tellure percussâ ferocem
Edidit. O decus, o Coloni
Insigne sancti præsidium: volat
Seu concitatis per stadium rotis,
Seu per laborantes catervas
Attoniti ruit acer hostis,

Inulta spargens funera: nec minùs
Classis biremes Attica barbarûm
Submergit undis, perque fluctus
Vindicat imperium tumentes,
Impune victrix; dum pelagi Pater,
Dum læta Phorci cærulei cohors,
Plaususque sub stagnis frequentes
Nereides geminant profundis.

IN OBITUM REVERENDI ADMODUM VIRI
JOHANNIS BURTON.

A. D. 1770.

.....

O, NOVA quæ carpens melioris gaudia sedis,
Umbra, tamen nostros respicis alma lares;
Anne sepulcrales tibi nectere fronde coronas,
Tenuiaque in cineres munera ferre licet?
O mihi si liceat tibi talia reddere, nôsti
Qualia Sechero tu dare rite tuo.
Te quæcunque vocant scriptorem munia, mollem
Componit calamum subsequiturque decor.
Sive animi vires intendunt seria, solvunt
Seu faciles ruris Bathoniæque jocos.
Quæ calamum, puros ornat quoque gratia mores,
Castaque simplicitas, ingenuusque decor.
Non te nequicquam sua per penetralia duxit
Ipsa cothurnato musa severa pede:
Quin aditum et nobis aperis, teque auspice scenæ
Cecropiæ attonitis interiora patent.
At non Pieriis lusus in vallibus aris
Abduxisse tui te potuere Dei.
Sive sacerdotis peragis seu munia cantas,
Te Pietas pariter, teque Camena beat.

Sedibus ex Pindi tu Musam in templa vocatam
Ætherii famulam sistis ad ora Patris:
Et nunc mirantem Sineæa in culmina ducis,
Nunc quà sacra procul prospicit arva Sion.
Tecum unà horrendi raptamur ad ardua montis,
Vox ubi legiferi fulmine nota Dei est:
Tecum una teneræ libamus mella loquelæ,
Mitis ut e Christi liquitur ore melos.
Cui non, cùm genibus tecum advolvatur ad aram,
Facundo trepidant percita corda metu?
Quis, cùm depositum gelidâ tellure cadaver
Lugubri impulsu reddita gleba ferit,
Non ultro assistens fletus plangentibus addit?
Hei mihi! quòd fletus hos tibi solvit amor.

QUEM NEC LONGA DIES, PIETAS NEQUE MITIGAT ULLA.

A. D. 1757.

.....

ASPICE, quos animo motus Vindicta furenti
Subjiciat, quove ex ortu progressa serenos
Conturbet malesana animos: quali impete pestis
Sæviat, et quem se ad finem importuna reservet.
Scilicet in mentes hominum turbataque corda
Illa minutatim irrepens se subjicit, ex quo
Prima olim data causa mali: latet ira severos
Usque addens stimulos, donec jam dicta mentem
Carpit inexpletam, et tacito sub pectore vivit.
Ecce parens, vitam extremus cùm terminus urget,
Vix tollens caput, et leti jam limine in ipso
Dum dubius pendet, natos vocat, ut memor usque
Vindictæ mandata dedit, natosque fideles
Poscit, et æternas devincit fœdere in iras.
Illi adeò sævi patris parere parati
Imperiis; serosque manet vindicta nepotes.
Quid memorem variosque modos casusque dolo-
resque
Horribiles, quas aut pœnas furor iste reposcit?
Ille, simul furiis subitis exarserit, hostem

Provocat, et paribus læsum decus arrogat armis:
Tardior hic tumido dudum sub pectore dirum
Consilium tegit; en, tempus secum ipse modumque
Exigit, et secura premens vestigia, sævus
Irruit, incautumque hostem sub Tartara mittit.
Exitiale furens per terras undique Iberum
Dira agitat pestis; qualis spatiatur in oras
Italiæ! quoties atque uxor America sponsum
Fusa super fremuit, natique avulsa parentum
Viscera, vel cæsi gemuerunt funera fratris!
Nonne vides? ut Maurus atrox magnâ efferus irâ
Sæviat, adversoque ensem sub gutture figat.
Non illum jam prisca fides, promissa severum
Nulla movere animum, diramque è pectore pestem
Excussisse queunt; tanto magis ille furores
Exacuit; non tristis hiems montesque nivales,
Non scopuli rupesque cavæ, aut objecta morantur
Flumina: vindictam furiato pectore victor
Exaturat, pœnasque inimico e sanguine sumit.

AGNOSCO VETERIS VESTIGIA FLAMMÆ.

Eloisa Abelardo. A. D. 1763.

.....

HIS in cavernis, et remotis sedibus,
Quas solitudo, quas severa castitas
Deo dicavit, ah! quis irritat calor
Vestale pectus? unde fax cupidinis,
Sopita dudum, sæviens redintegrat
Solitos tumultus? O verenda Sanctitas,
O Vesta, nomina, quas amor violat meus!
Noctu dieque supplices frustra preces
Piasque fundo lacrymas; scribit lubens
Manus, reclamet licet anima voti rea.
O mœsta sedes, o sacrati parietes!
Qui per latebras intimas suspiriis
Crebrisque passim fletibus dolentium
Resonatis; o dicata Vestæ limina!
Quà pallidorum turba pernox virginum
Vigiles ad aras semper excubias agunt:
Me vota quamvis sub sacris recessibus
Rigere cogant, non tamen prorsus mei

Oblita, flammæ pristinæ caloribus
Iterum ardeo: me postulat frustra Deus
Pietasque totam; rapuit, et adhuc possidet
Abelardus animæ maximam partem meæ.
Hinc vix resignans nunciam chartam manu
Adhuc trementi, nomen agnovi tuum;
Fatale nomen! efficax reducere
Luctus, novoque ventilare spiritu
Cinerem latentem, et integrare mutuos
Amoris ignes. Tu tamen, quicquid feras
Posthac laborum, quicquid infortunii,
Rescribe; saltem particeps fiam mali.
Si non laborum detur ingruentium
Levare pondus; at licet, suspiria
Fletusque fundam: scilicet nil amplius
Feliciusve flagito, miserrimæ
Semper dicanda castitati victima.
  Perjura Virgo, numina et cœlum sequi
Professa frustra, perfidis cupidinis
Dum vetitus ardor assidet præcordiis.
Poscit dolorem læsa pietas; ast ego
Pro te tuâque salute lacrymas cio,
Novare tentans, non piare crimina.
Nec si severa fata, te caro procul

Absente, cogant irritam producere
Vitam, carentem quas voluptates habet
Blandus Cupido; tu tamen beatior,
Abelarde, vivas, me quis opprimat dolor
Securus: at si fors mei vivas memor,
Vivas meis solutus infortuniis.

SUBLIMIA CURANT.

.....

DIA veni Uranie, quæ latè impervia nostris
Regna vides oculis, implexosque ignibus ignes,
Flammiferosque globos, et amatos dirigis orbes.
Dia fave; juvat hos artus terrenaque vincla
Exuere, et puris superorum illabier oris.
Te duce siderei visam laquearia cœli,
Et rutilos orbes, latèque per aëra fixas
Aspiciam stellas. Medium celeri impete solem
Mercurius transit, lucisque immergitur alto
Fluctu avidus radiorum, et largos imbibit ignes.
Indigena hîc agitat calidas insania mentes,
Dum cœli rabies, et non innoxius ardor
Officit: hîc properat pannoso in sordida ductor
Arva satellitio, et regalia tempora serto
Stramineo cingit, lignoque insedit avito:
Hîc rutilo nimii sub lumine solis anhelans
Lineolas sophus inscribit, fictosque epicyclis
Implicuit cyclos; et amatæ Phyllidis ora
In niveum vultum, et sparsos carbone capillos
Exprimit æger amans, et pariete ludit in omni.
Proxima adest, clarumque volutat amabilis axem

Per cœlum Venus: hîc æterno lumine Phœbus
Irradiat colles, semperque innubilus aër
Vestit agros; placidos saltus amœnaque rura
Cernere erit, silvisque virescit scena coruscis.
Hæc habet exiguus mollissima regna Cupido,
Et lacrymæ imbelles, et ubique exurgit amantum
Continuus clamor; resonabilis adgemit aër
Luctibus, et querulo fervet cœlum omne tumultu.
Hinc miseras sedes et inhospita porrigit arva
Sanguineus Mavors: en, latè fluctuat omnis
Ære renidenti tellus, longasque cohortes
Explicuere acies; non hîc per rura puellæ
Festivas agitant choreas, sed belliger heros
Martis init saltum; dum cuspide quassa sonanti
Scuta fremunt, clypeique, et pila minantia pilis
Horrendum strident, sonitumque repercutit echo.
En, connubia vana, et desertos hymenæos
Sponsa gemit, sævumque fovens sub pectore vulnus
Flet noctem, et primâ renovat cum luce querelas;
Ille quidem Stygiam transit jam frigidus undam.
Jupiter hinc ruit; hunc lunarum ex ordine servant
Longa satellitia, et tenebrosum cingulus axem
Irradiat latè, et gaudet comes ire per auras.
Hîc rex subjectam plebem populumque gementem

Imperio tenet, et ferreô loca subdita sceptro
Opprimit; en, mœsti stipant prætoria reges
Libertasque graves gemit indignata catenas.
Porrigit hinc gelidam sedem et frigentia regna
Saturnus piger, et vasto per inane rotatu
Volvitur, huic tenebras quinæ circùm undique lunæ
Discutiunt, funditque benignos annulus ignes.
Semper hiems, semper spirantes frigora venti
Vexant; haud viridi foliorum exuberat umbrâ,
Aut passim viret; at glacie riget horrida silva,
Nixque jacet latè, centumque assurgit in ulnas.
Sævitiæ cœli gelidæque accommoda terræ
Languida gens torpet; non Jupiter improbus urget
Ambitionis opus; non Mars crudelior æquas
Asperat in pugnos, aut vivi industria vincit
Mercurii; haud placidas illic Cytherea catenas
Innectit latè, aut genialem suscitat ignem.
At terræ caveis exesæque arboris antro
Tempus agunt; quà serpit inerti murmure rivus,
Longosque inducunt irrupta silentia somnos.
Non trepidum rex martis opus, non jura beatis
Molitur populis; sed opaco tutior antro
Semper stertit iners, et somno protrahit horas,
Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli.

*Ἑλένης Ἐπιθαλάμιος.

Ex Theocr. Idyll. 18. A. D. 1753.

.....

QUÆ tanta ignavum suadet tibi causa soporem?
Quid thalamum primo vespere, sponse, petis?
Anne pedes nimii tentavit copia Bacchi?
Inde subit furtim membra ligata sopor.
Invigilet potiùs juvenum, Menelae, choreis,
Et thalamum Lunâ sponsa cadente petat.
Nam referente diem Phœbo, et condente relatum,
Illa futura tua est, illa futura tua.
O felix Menelae! bonâ petis alite Spartam,
Incœptis faustum sternuit omen Amor.
Flava comas Helene tecum, Jovis inclyte proles,
Dignatur simili ponere membra toro.
Qualis in axe nitet roseis Aurora capillis,
Cupressique caput quale per arva patet;
Talis nos Helene facie supereminet omnes,
Virgineas pulchro tincta rubore genas.
Nulla Lacænarum percurret pectine telas
Doctior, aut calathi conglomerabit opus.
Tyndaridi citharam concessit cantor Apollo;
Tacta ea virgineo pollice dulce sonat.

Dum teneram celebrat citharâ cantuque Minervam,
Non aluit nuptam terra Lacæna parem.
Nos non immemores per prata virentia mane
Ibimus, o Helene, fida caterva, tui;
Ibimus, absentis desiderio icta fideli,
Matris ut amissæ respicit uber ovis.
Nos tibi nectemus lotumque apiumque puellæ,
Sertaque virgineas implicitura comas.
Pinguia libantes densas unguenta per umbras
Ante pedes dabimus munera vota tuos.
Scribemus platani rugoso in cortice carmen;
Spartanæ hæc crescat planta dicata Deæ.
Ter felix Helene, tali conjuncta marito!
Salve, magne Jovis tu Menelae gener!
Latona optatâ faciat vos prole parentes:
Incendat parili pectora amore Venus.
Nec Pater omnipotens vobis sua dona recuset:
Dona dabit genero non peritura socer:
In somnis placidos unà spiretis amores,
Nec lateri pudeat conseruisse latus.
Prima salutabit Phœbi cùm lumina Gallus,
Mane revisemus te tua lecta cohors:
Adsit Hymen nobis per carmina læta, domumque
Gaudeat hanc festo concelebrare pede.

------- Αὐτίκα δ' αἰθὴρ
Χάλκεος ἀντήχησε διαπρυσίαν ὀλολυγήν.

A. D. 1759.

.....

O SOPHIÆ primæva soror, seu blandior audis
Uranie, descende polo; te rite secutus
Parnassi supra colles, supra ardua Olympi
Culmina, Pegaseo nondum tentata volatu
Ingrediar loca; tu per cœlestes epicyclos,
Flammarumque globos, congestosque orbibus orbes
Ad sedem Harmoniæ ducas; illa æthera latè
Personat, et dulci variat modulamine cantus.
Hinc exaudiri sonitus; hinc sidera miro
Concentu revoluta meant, propriosque per orbes
Concordi strepitu sphæræ volvuntur ad ortus;
Hinc rapidæ varios celeri vertigine motus
Suave iterant, lætique omnis symphonia cœli
Attonitos gratâ mulcet dulcedine sensus.
Felix ante alios fortunatusque laborum,
Cui dignaris opem, cui risus, Diva, secundos!
Purgatos illi jucundum vulnerat aures
Sphærarumque melos, fractæque per æthera voces.
Sæpius, errantis per opaca silentia Lunæ,
Propter aquæ rivum prostratus gramine molli

Haurit inassuetos miranti pectore cantus;
Sæpe repercussi deserto in culmine montis
Suaviter horrentes noctis penetrare tenebras
Ætherii divina stupet modulamina plectri.
Qualis ubi lux orta mari, lustravit Eois
Limitibus progressa polos, flammæque micanti
Suspensæ cœlo geniali lumine terras
Nascentes fovere; suos peragentia motus
Astra per aërios dulci modulamine tractus
Testantur lætata Deum, plauduntque frequenti
Harmoniâ allisi concussis orbibus orbes.
Arduus insolitis resonat concentibus æther,
Divinumque melos percussa reverberat aura.
O hominum tutela, Dei Patris incrementum,
Te superas repetente domos, te morte subactâ
Læta triumphante arcani per limina cœli,
Stellarum chorus omnis, et Angelici comitatus
Altius æternas celebrarunt carmine laudes:
Nam neque tam dulces iterarunt sidera cantus,
Non cœli festiva cohors, cùm dira rubenti
Fulmina contorsit dextrâ, turmasque rebelles
Vera Dei soboles vindex sub gurgite mersit
Tartareo: non cùm discordia semina rerum
Impulsus sensere Dei; massamque fluentem

Jussit ad Harmoniæ miras coalescere leges.
Ille redux varios inter citharæque lyræque
Concentus, ad sacra Patris penetralia tendit:
Ilicet Angelici concors symphonia cœtûs
Ad citharam centum variat discrimina vocum
Cœlesti harmoniâ; qualem Bethlemia pubes
Audiit, ut latè radiis albescere tractus
Aërios, et miranti descendere cœlo
Plaudentes vidit choreas; ut conscius æther
Insonuit, Domini referens natalia Christi:
Haud secus egregios superatâ morte triumphos
Messiæ, partamque homini cecinere salutem
Cherubi Seraphique: poli festiva remittunt
Murmura, terrarumque et rauci concava cœli,
Ac resonæ Superum sedes, fixisque morati
Orbibus Angelico cantu stupuere planetæ.
Pandite cœlestes augusta repagula portæ!
(Ascendit Deus, ille Deus, veneranda Jehovæ,
Progenies) vos o clarissima Lumina mundi
Plaudite! vos citharas, Seraphi, pulsate sonantes!
Angelici pulsate chori! redit ille triumphans,
Ille necis solus domitor; qui morte rebelles
Repulit insidias Stygiique inferna tyranni
Consilia, obstructique viam patefecit Olympi.

NOVISTINE LOCUM POTIOREM RURE.

.....

O CŒTUS Dryadum levesque Fauni,
Urbes qui fugitis tumultuosas,
En, quæ vos maneant meo sub antro
Ruris deliciæ beatioris.
Exite a placidis simul latebris,
In vestros simul huc adeste lusus.
En, ut frondibus hinc et hinc opacis
Pastori patulam ministrat umbram
Excelsum nemus: hic aperta rura,
Et, qui collibus imminent, recessus
Fas est cernere limpidosque fontes;
Umbras frigidulas sacrosque lucos,
Per quos murmura sibilantis auræ
Jucundum tenero strepunt susurro.
Ah! reges valeant domusque regum,
Et quisquis potuit domos potentum
His præponere sedibus beatis.
Nusquam purior arva vestit aër,
Aut spirant zephyri sereniores.
Quin vos, o Dryades, simul per agros

Erratis pede leniter; nec herbis
Obstat tristis hiems, calorque fervens
Armentis nocet, incolasque lætos
Lædunt flamina pestilentis austri.
O dulce hospitium! o lares beati!
Me tandem accipite in sinum, nec ulla
Vis unquam placido extrahat recessu.
Quod si contigerit mihi, quis aulas
Tanti me putet æstimare regum?
O quæ tunc mihi, quàm beata vita,
Quàm vitæ similis foret Deorum!

LUCIDUS ÆTHER.

.....

INTIMA sub terræ penetralia crassior aër
Conclusus latitat, desudantesque vapores
Sulphure commisto, flammis alimenta futuris;
Claudier in cæcis quæ dedignata latebris
Erumpunt, tenuesque per aëris acta meatus
Lumine depingunt tremuli laquearia cœli.
Acrior elicitas geniali lampade Phœbus
Particulas sensim fumantibus evocat agris,
Et propriis acuit facibus, multoque nitore
Tingit, ut Arctoo latè se promat ab axe
Gratia confusa, et radiorum lucidus error.
Nec mora, materies tractus tenuata calore
Tendit in aërios; ubi feta vapore resolvit
Terra sinus: celeri sursum vertigine rapta
Ardescit motu, et crebris quatit æthera flammis.
Sæpe eadem abstrusis terræ conclusa cavernis
Materies vasto perrupit claustra tumultu:
Hos nuper motus, versasque in margine turres
Audivit Tagus, et retro ruit omnibus undis.
Ergo, ubi jam breviorque dies, jam mitior æstas,
Sol ubi defessos sub frugifero autumno
Lentus init currus; scintillans flamma per auras

Se glomerat, ridetque novo natura decore
Furtivasque faces et non sua lumina cernens.
Lurida nequicquam tacitas nigrantibus umbris
Nox operit terras ; facies innubila cœli
Splendore insolito latè radiata coruscat.
Quis tamen expediat versu, quàm præpete nisu
Sese accline jubar sinuans nitida atria Divôm
Insignit trepido curvamine ? lucida surgit
Pyramis, et pingit trepidantibus æthera conis.
Quid loquar ? ut celeri lux irrequieta volatu
Se levat, et tremulos in pulchra volumina nisus
Explicat, et relegens sua per vestigia gyros
Ancipites ruit ; ac (velut unda supervenit undam,
Cùm maria incipiunt agitata tumescere ventis)
Involvit radios radiis ; nunc territa visus
Effugit exultim, trepidansque repentè recurrit.
Hinc diræ facies, hinc plurima martis imago
Undique consurgit ; concurritur æthere in alto ;
Spicula mille volant, emissaque tela per auras ;
Sanguineæ apparent turmæ, ceduntque ruuntque
Impete confuso : durus si navita, si quis
Insomni remo boreales verberat undas,
Transcursus radiorum agiles formidine lustrat,
Et cœli convexa modis fulgentia miris.

IARBAS LOQUITUR.

A. D. 1758.

.....

ET tandem valuere preces, pinguesque per aras
Molliit aversum victima cæsa Jovem.
Occidit infamis properato funere Dido,
Occidit ante suam turpis amica diem.
Scilicet et nostras quondam contempsit amores,
Quotque habet egregios Africa terra duces;
At pendit meritas ingrata superbia pœnas,
Lascivo meritas ruptus amore pudor:
Non hanc noster amor, non hanc despectus Iarbas,
Non animum Libyæ sceptra superba movent;
Scilicet hæc prohibent fido promissa Sichæo,
Scilicet hæc nunquam dissoluenda fides!
Siccine pertæsum thalami, cum raptus ad umbras
Iret præcipiti funere primus amor?
Hoc, hoc, pacta fides devotaque templa Sichæo,
Quæque coronavit vitta sacrata caput,
Hoccine perpetui gemitus fletusque parabant,
Lapsaque per mœstas gutta dolosa genas?
Ut tandem foveat peregrinam perfida flammam,
Turpis ut externo cedat Elisa proco.

Scilicet hic Byrsæ tutas custodiet arces,
Quem dudum hostiles edomuere manus?
Mascula non illi virtus, non vivida bello
Dextera; femineis aptior ille choris.
Orat opem profugus, Libycas ejectus ad oras;
Non satis est, regnum, dextera, danda fides;
Dum petis Iliacos demens audire labores,
Dum falsi Paridis crimina nota patent,
Num latet Ænean ab eadem gente creatum,
Perjurum patrios fingere posse dolos?
Quinetiam hunc referunt humeris portâsse parentem,
Ignibus hunc patrios eripuisse Deos;
Tum nota enituit pietas, cùm liquit amantem,
Cum socii fugit fœdera rupta tori.
En, mare turbatur trabibus, ventisque secundis
Tendit ad ignotas per freta longa plagas;
Non amor, aut jactata fides, pietasve reducit,
Non tibi per patrios dextera pacta Deos;
Non moritura super crudeli funere Dido,
Non movet accensi flamma suprema rogi:
Exercet patrias fraudes; Phœnissa cruentam
Maturat furiis exagitata necem;
Jam scandit malè sana rogos, ensemque recludit;
Jam falsum trepido ter vocat ore procum.

At frustra; fosso sub pectore conditur ensis,
Et petit infernas umbra inhonesta domos.
Scilicet hæc oculis aspexit Jupiter æquis,
Ultorem vindex impulit ira Deum.
Dirigit æterno rursum mortalia nutu;
Iratâ terrent fulmina missa manu.
Ergo agite, o pueri, cumulate altaria donis,
Et cadat ultori victima cæsa Jovi.

SILVÆ FILIA NOBILIS.

.....

UT silvis cadat icta abies, mox arte carinæ
In speciem compacta natet, passimque profundo
Imperitans, subjectæ humentia Tethyos arva
Transiliat, dic, Musa; meam per cærula cymbam
Raptat amor; juvat audaci tentare phaselo
Æquora, et ignotas terræ volitare per oras.
Vere novo, quum se foliis decoraverit arbor,
Lentæque exierint lacrymanti è cortice gemmæ,
Robusto incipiat jam tum mihi silva sub ictu
Ingemere, et trunco attritum splendescere ferrum.
Mox omne æstivi vitium fervore diei
Excoquitur, ramisque exudat inutilis humor.
Prima tibi silvæ soboles antiqua bipenni
Pinus, et annoso procumbat vestice quercus:
Ne tamen ingenti sublimis populus ictu
Desiliat, platanive leves; pastoribus illæ
Ingentes pandant umbras; Parnassia laurus
Ætherias semper tollat se tuta per auras,
Pieriique comâ præcingat tempora vatis.
Sed priùs antiquam properes quàm cædere fagum,

Aëriamque gravi quercum exturbare securi,
Votivâ semper Dryadas mulcere bidenti
Cura sit, et justos nimiùm placare furores.
Quid memorem? ut toties abreptas Orcades umbras
Indoleant, graviterque irato numine pœnas
Ultrices properent; rapidum quo tempore primùm
Ausa ratis tentare fretum, terræque repostos
Alterius celeri tractus penetrare carinâ.
Fas mihi vos tenui, Dryades, cinxisse corona,
Fas mihi vos pulchræ exiguis attollere Nymphæ
Carminibus, vestrâque lyram pulsare sub umbrâ.
Vos etenim primos docuistis fidere ponto
Mortales, fluctusque levi superare phaselo.
Nempe aliquis nantem cernens super æquora truncum,
Paulatim oceano vitam lignoque dolato
Commisit; primùm bibulâ præludia ripâ
Excursusque breves tentabat; at inscia virtus
Terroris, patriâ tandem discedere terrâ
Compulit, et longos pelagi lustrare recessus.
Qualis avis plumâ cùm vix obducta volatûs
Prima rudimenta effingit, nidoque recursans
Exiguos tentat nisus, dubiumque per imos
Urget iter frutices; mox præpete fortior alâ

Fertur in arva volans, cœloque exultat aperto.
Continuò cæci plaustris ad litora trunci
Descendunt ; coiere viri, queîs munera mille,
Mille artes : studium est aliis conjungere curvas
Ingenti compage trabes, linoque tenaci
Exiguas complere nigroque bitumine rimas.
Pars dolat ingentes truncos, et robora silvæ
Infabricata ; alii puppes, aliique carinas
Incurvant ; hic vela suit, tortosque rudentes
Implicat ; in vastis incudibus auchora candet :
Fervet opus, pictæque micant in litore cymbæ.
Jam verò extremus labor impendendus, et altam
Ad mare deducunt navem ; quam lætus euntem
Insequitur chorus, et nautæ comitantur ovantes.
Accingunt omnes operi, vastosque carinæ
Subjiciunt orbes, et stupea vincula malis
Intendunt ; vasto navali excussa fragore
It ratis, et pueri circum sociique frequentes
Læta canunt, funesque manu contingere gaudent :
Illa ruit, mediisque minans illabitur undis.
Salve magna parens nemorum, Britannica tellus,
Magna virûm ! frondes nutrit tibi fagus opacas,
Alta tibi surgit pinus, reginaque silvæ
Tercentum totos quercus dominatur in annos.

Quid referam? ut lati repetens commercia mundi
Nave vehat mercator opes, lætosque revisit
Hesperiæ lucos auroque nitentia regna.
Nec minùs armatis sibi classibus arrogat æquor
Albion. Externæ quæ non victricia gentes
Signa timent? quoties Hispano effervere ponto
Congressas magnò inter se certamine classes
Vidit Iber, flevitque alti stans culmine montis
Corpora mille virûm vastis abrepta sub undis!
Fulmineos quoties procul audiit icta tumultus
Gallia, dum medio tremuerunt æquore fluctus!
Scilicet et tempus veniet, cùm finibus illis
Navita jactatam religans in litore navem
Præcipiti inveniet collisos turbine malos,
Aut fractam madidâ proram calcabit arenâ,
Sparsaque sanguineas mirabitur ossa per undas.

AD AUGUSTISSIMUM PRINCIPEM GEORGIUM TERTIUM.

A. D. 1764.

.....

QUOS plausus festiva dedit, quæ gaudia, Princeps,
Adventu exultans sensit Etona tuo,
Carmine solenni, et festo renovare labore
Grata, satis si non digna, Camena parat.
Vix meritis satis apta tuis mea Musa, benignum
Te saltem tenui voce piumque canat.
Me cœptis fateor (neque enim pudet) esse minorem;
Sed tibi det, quicquid vox mea laudis habet.
Exiguæque faces cœlis præbentque minora
Sidera nocturnum qualiacunque decus.
Si conjuratæ quondam terràque marique
Græcia Barbariæ fudit inulta minas;
Si sacravit ovans pulchris conspectus in armis
Dux Capitolino Punica signa Jovi;
Turba triumphali cantu lætique superbo
Festa sacerdotes instituere duci.
In Lyciam fugiens, et dædala litora Xanthi,
Visit Castalias hospes Apollo domos;
Pieridum sonuere lyræ, spatiatus in udo
Festivum cecinit margine carmen olor.

Sic ubi Vinsoriæ turres, ubi visis Etonam,
Inter Pierios alter Apollo choros,
Lux festiva agitur; vates sua templa Georgî
Munere et adventu nobilitata canunt.
Seu Thamesis spatior glauci prope litora, fessos
Quà bibulo invitat gramine ripa pedes;
Vel si porticibus vacuus, lætosve pererro
Gressibus incertis incomitatus agros;
Demisso vultu, et tacito vagus ore, tuorum
Delicias veneror te, geniumque loci.
O templa augustique lares! o Palladis arte,
Et structa Henrici munere sacra domus!
Regius alter adest patronus, et alter Etonæ
Præsenti Henricus templa tuetur ope.
Hæc ergo, sileat si vox mea, voce canetur
Festa poëtarum nobiliore dies:
Nec pretium cantûs poscet pia Musa; poëtæ
Sat decori laudes sit cecinisse tuas.

‡ NITIDAM GESTARE AMET AGNAM.

Puella ad Catellum. A. D. 1763.

.....

O TU deliciæ meæ Catelle,
Quæ te pingit amabilis juventus,
Quæ ludit venus in tuis capillis!
Vitâ carior es meâ, daboque
Jam centum tibi basiationes,
Quas frustra juvenes petunt habere:
Frustra, nam tua sunt labella melle
Hyblæo potiora; tu fidelis
Es custos mihi; læta persequaris
Tu vestigia; nocte tu recumbas
Ad lectum dominæ; diem salutas
Latratu vigili, meamque lambis
Dextram; quæ tibi delicata mensæ
Pulmentaria donat; atque amoris
Hoc signum dedit auream catenam.
Tu jussu dominæ meam tabellam
Et fers, atque refers; venis vocata,
Caudæ mobilitate dum fateris
Suavem lætitiam; fores amicus

Si pulset, bene fidus ore latras.
Tu soli mihi dulcis es choraules,
Tu semper citharædus, o Catelle.
Quæ reddat tibi dona, vel favore
Quo te Calliope remunerabit?
Ut crines decoret, caputque pergat
Pulchro gausape, serva, mi Catelle,
Est Phyllis tua; quo dolore nuper
Ploravi, et quoties metu fremebam,
Cùm, pulchelle, periculosa fata
Te morbi tenuere! quin potentes
Arcessi medicos, viamque jussi
Sterni stramine, ne tuam quietem
Rumpant plaustra; domum perambulare
Et servos veto calceis sonantes.
O tecum moriar; lubens remitto
Vitam te moriente: si peribit
Te vivo domina, en, meæ, Catelle,
Hoc solatiolum necis relinquam:
Supremis tabulis pecuniosum
Tum munus dabo; ne fame labores,
Ne vivens patiare herile jussum.
Si te prima vocent, Catelle, fata,
Condam lumina, mortuosque pulchrâ

Artus veste tegam ; sepulcra magno
Sumptu, et marmoreas struam columnas ;
Et scribam hoc epigramma : *Tu viator*
Nunc has reliquias vide Catelli.
Confingens hera pignus hoc amoris
Vivum diligit, et gemit sepultum.

Ἄγγελος ὄρνις.

.....

ASPICE quà pennis trepidans per inane columba
Radit iter liquidum, et dubio libramine cursus
Dirigit aërios, tractuque incerta videtur
Ambiguo volitare, et tortos ducere gyros,
Dum vacuum extentis circumspicit æthera pennis.
At simul ac sedes nativaque litora cernit,
Præcipiti certos designat tramite cursus,
Horrentesque super campos fluctusque sonantis
Æquoris urget iter, rapidoque citata volatu
Ardua clivosæ superavit culmina rupis.
Interea juvenis turbatus corda, columbæ
Ancipites spectat motus, cui pendula collo
Inscripta absenti fluitabat epistolæ nymphæ,
Verba ferens iterata, et fidi pignus amoris.
Lumine adhuc dubio lapsamque per aëra blandis
Prosequitur votis; " Ah! te neque sæva moretur
" Temperies cœli, neque terreat Auster euntem,
" Degravet aut madido languentes æthere pennas.
" At recreet lassam mollique Favonius aurâ
" Te levet, et dulci faveat Cytherea ministræ.

" Auxilium nunc, Diva, tuum, tua numina poscit
" Nempe volans, chartisque onerata fidelibus Alpes
" Illa super, super alta maris petit æquora nympham.
" Fundenti lacrymas tacitoque in rure gementi
" Ardoremque meum et fidos narrabit amores.
" Tu simul ac rapido subvecta per aëra lapsu
" Limina nota vides, repetitæ verbere pennæ
" Sis memor atque agili rostro pulsare fenestram.
" Agnoscet sonitum virgo, lectisque tabellis
" Lætitiâ exultans dextrâ tibi plaudere collum
" Dignetur, notæque det oscula mille ministræ.
" At si fortè preces, votumque valeret amantis,
" Te tacito Idaliæ sistens Cytherea recessu
" Rite rotis jungat sociam, curruque nitenti
" Juncta trahas blando comitatam Cyprida nato;
" Sic tibi sidereâ volitare licebit in aulâ."

‡ - - - FESSAS COHORTES
PIERIO RECREATIS ANTRO.

A. D. 1765.

.....

EUROPA insolitum sensit commota tumultum;
Flevere abreptas Afer et Indus opes;
Anglia flebilibus belli satiata triumphis
Optima honoratæ fœdera pacis init:
Sola Etona suos in prælia mittit alumnos,
Et rigidi speciem martis inulta ciet.
Hîc stricti splendent enses, hîc bellica cornus,
Hîc tremulas agitat mobilis aura jubas.
Scilicet arma colit Pallas, citharamque reponens
Versat in indomitâ Cynthius arma manu.
Desiliens clivis nec lympha, nec accola Phœbum
Semper ad Aonias Musa moratur aquas;
Sæpe Deo præsente sonant et Dephica templa,
Et tremit Ortygii laurea silva jugi.
Quid vetat et nosmet tam clara exempla secutos,
Quæ toties legimus bella, ciere semel?
Nec pacem effringit species licet ipsa duelli,
Nam brevis ex omni parte triumphus erit.
Nullis causa fugæ, nisi quos nimis arcta cupido
Suadeat infami vertere terga dolo.

Sat bello montique datum est; juvat altera castra,
Altera deposito marte duella sequi.
Tu modò, qui meritis nunquam aversaris honorem,
Annue militiæ, fautor amice, tuæ.
Otia concedas fessis, pater optime, turmis;
Nec sint pacificæ bella aliena togæ:
Sed neque dedecorent veteres hæc otia palmas;
Musa laboratos audiat alma modos.
Diva potens belli modò nostris annuat ausis,
Militiam pariter fas sit utramque pati.
Qui gerit, et celebrat sua bella, in honore triumphat;
Bis victor, binâ laude canendus erit.

* DEMENTIA VERSAT.

A. D. 1775.

.....

DI, quorum imperio Furor, atque Insania paret
Turbida, qui vacuas fingentes pectore formas
Volvitis effrenes rapidâ vertigine sensus ;
Pandite vos trepido (si fas) Bethlemia vati
Atria ; secreti penetralia pandite tecti.
Fallor ? an horrisonum converso cardine limen
Stridet, et ingentes aditum permittit in ædes.
Jamque ictus, et vincla sonant ; jam magnus ab imis
Auditur gemitus latebris, tectumque remugit
Aërium, fremitusque graves Insania tollit.
En, qui pannosas expandens undique vestes
Squalenti fultus solio, nigrâque verendus
Majestate sedet ; sordent immania fœdo
Sceptra situ, calvumque caput diadema coronat.
Ille mari ac terræ solus nempe arbiter, ille
Dat leges, vacuâque minax dominatur in aulâ.
Quis jacet ille procul pressis ad pectora palmis,
Nunc pavidos supplex tollens ad sidera vultus,
Nunc ad humum jaciens oculos mœrore gravitos ?
Hîc juvenis, magnum cui versat in ossibus ignem

Durus amor, pulchramve Chloën, aut Phyllida dulci
Carmine suspirans, crudelem plorat amicam.
Hìc sedet horrendum ridens immanior alter,
Lætitiàque fremens; quamvis fera turba malorum
Opprimat, ille tamen Divôm contemptor acerbas
Exercet sannas, et inania gaudia vultu
Concipit, atroci distorquens ora cachinno.
Horrida vincla premunt illum triplicesque catenæ,
Cui rabie fera corda tument, cui tensa rigescunt
Brachia; membra tremunt; diris stant lumina flammis.
Sæpius ille furens, et spe delusus inani
Bella movet Superis, cœlumque irrumpere tentat:
Vincla tamen cohibent surgentem, et sæva minantem
Supplicia; et magnis semper cadit irritus ausis.

CHORUS EX SOPHOCLIS ŒDIP. TYRAN. V. 471.

A. D. 1766.

.....

STROPHE.

QUIS expiando sacrilegas manus
Cruore regis imbuit?
Quem sævi sceleris reum
Delphica saxa sonant certique oracula Phœbi?
Jam jam excitatos impiger fugâ pedes
Acrior ventis rapiat, Deique
Terribiles minitantis iras
Horrescat miser; huic paratus ultor
Telis rubentibus furit:
Flammæ sacratum dum caput obruunt,
Tristique torquent fata conscientiâ,
Assiduasque movent Diræ sub pectore curas.

ANTISTROPHE.

Monent nivosis splendida Delphidos
Oracla de jugis scelus
Perscrutarier impium.
Scilicet ille furens deserti culmina montis
Rupesque frustra pervagatur abditas;
Nunc miser tardo titubata gressu

Membra trahens, nimio obstupescit
Luctu; nunc velut Evias furensve
Sopore Mænas excita,
Per saxa cursus ambiguos rapit,
Vitare terræ missa de sacro sinu
Fata petens misero semper grassantia luctu.

MONOSTROPHICA.

Me vates dubio movet
Æstu trementem; pectus huc illuc vagum
Mente discordes agitans tumultus
Inter spem tacitam metumque pendet.
At quis Deorum verba redarguet?
Artificem nam cædis iniquæ
Conscius increpuit tyrannum
Vates: hæc, superi, fama sit irrita,
Pœnasque ne tales luat
Lapsuræ hic quondam decus et tutamina gentis.

VOS VALETE ET PLAUDITE.

A. D. 1779.

.....

QUALIS ubi indoctus spectat de litore nauta
Undique nimbosis marmora versa notis;
Surgentes fluctus stupet, et fera murmura ponti,
Et sibi tentandas pallidus horret aquas:
Talis ego aspiciens propiùs vada turbida vitæ,
Atque tuos jussus linguere, Etona, sinus;
Terreor, e tuto metuens excedere portu,
Et dare per vastum parvula vela mare.
Nam mihi nunc primo in decessu nubila cerno
Multa procellosis surgere feta minis.
Jam turrita comas, et majestate tremenda
Ante oculos propior stat Rhedycina meos:
Jam parat asperior studii Doctrina severi
Corda per insolitas discruciare vices:
Stat fronte Euclides austerâ, quem tremit omnis
Pindus, et Aonii turba canora jugi;
Intentatque mihi chartas, quas plurima supra
It labyrinthæis linea ducta notis.
Quin tenui eloquio rixari, et nectere verba
Arguto cogar litigiosa dolo.

Hæc mihi jam Rhedycina paras, sed serior ætas,
(Sive hiemes, placidos seu feret illa dies)
Condita terrificæ latet in caligine noctis,
Quæ mea me ulterius cernere fata vetat.
Attamen hæc, quò sunt magis abdita tempora vitæ,
Heu! magis hæc animo sunt metuenda meo.
O sacræ turres! o noti fluminis undæ,
Silvaque Castaliis semper amata choris!
Quàm vellem, tantâ vacuum formidine rursus
Me daret in vestros vita relapsa sinus!
Ut piget hos saltus et dulcia linquere rura,
Et studio, et lusu concelebrata meo!
Sed me cunctantem nimiùm matura juventus
Jam monet assuetas deseruisse domos.
Nunc etiam extremum indulgens mihi Musa laborem
Carmina per mœstos dat modulanda pedes.
Nunc etiam, a dulci secessu abitura, supremum
Voce refert lacrymans deficiente, vale.
Non tamen illa priùs discedat, quàm tibi grates
Reddiderit, doctum qui moderare gregem.
Debuit illa suas artes tibi; quæ canit, hausit
Carmina præceptis qualiacunque tuis.
Nam meminisse juvat, cùm me tua prima tenellam
Duxit ad Aonii dextera fontis aquas;

Cùm vix discebam multo conamine sensim
Legitimos digito dinumerare sonos.
Quin age, qui primus finxisti ad carmina vocem,
Accipe jam Musæ verba suprema meæ;
Accipe, et auspiciis abiturum solve secundis,
Utque olim, vati nunc quoque plaude tuo.

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX.

Page

NORTH (Lord).—Ἅπας ἴδιον κέντρον ἔχει - - - - - 1

TIGHE.—*Ne crede colori* - - - - - - - - - - - 3

PEPYS.—*Quem nec longa dies, pietas nec mitigat ulla* - - - 5

TIGHE (EDWARD).—*Ludit amabilis Insania* - - - - - - 7

HEATH.—*Chorus ex Euripidis Hippolyto, v.* 526 - - - - 9

MACDONALD (Sir JAMES).—Σιγῇ μύια πτίοντες - - - - - 11

NORTH (Lord).—*Peccare docentes Historias* - - - - - - 13

GEORGE.—*In purificationem beatæ Virginis Mariæ* - - - - 15

HARRIS.—*Mirabere silvas* - - - - - - - - - - - 17

PEPYS.—*Sophonisba Masanissæ* - - - - - - - - - 19

TIGHE.—*Tene ego ut accipiar lautè, torquerier omni*
Solicitudine districtum - - - - - - - - - - 21

BARCLAY.—*Hortus ubi* - - - - - - - - - - - 24

NORTH (Lord).—Νῦν δ' ἔρχισθ' ἱπὶ δεῖπνον, ἵνα ξυνάγωμεν Ἄρηα 26

NORTH (Lord).—*Non si bene nunc, et olim Sic erit* - - - 28

HARRIS.—Ἦ καὶ τάφου οἰκίσεις - - - - - - - - - 30

BEAUCHAMP (Lord).—*Nec placidâ contenta quiete est* - - 32

GARNIER.—*Catus quantumvis rusticus* - - - - - - - 35

BRANSBY.—Ἐλένης ἱπιθαλάμιος - - - - - - - - - 36

MADDOX.—*Non ea vis animi, neque tanta superbia victis* - - 39

HEATH.—Κρύσιοι δ' ὧδε λέγουσι νόμοι - - - - - - - 41

INDEX.

Page

PEPYS.—Ἔργ' εἰδυῖαν - - - - - - - - - - - - - - - 44

BEAUCHAMP (Lord).—*His saltem accumulem donis* - - 46

PEPYS.—*Rerum ignotarum magis est timor* - - - - - - 50

HARRIS.—Ἀλλ' ἐκ Ἀτρείδην Ἀγαμέμνονα σοιμένα λαῶν
Ὕπνος ἔχε γλυκερός - - - - - - - - - - - 52

TIGHE.—*Iaricon Inculo* - - - - - - - - - - - - - 54

HARE.—*Syphax Sophonisbæ* - - - - - - - - - - - 56

STURGES.—*Ex Pindari Olymp.* 14 - - - - - - - - - 58

HEATH.—*Pro more et monte* - - - - - - - - - - - 60

MACDONALD (Sir JAMES).—Ὡς εὐπρόσωποι φανῆναι - - 62

HARE.—*Virgâ aureâ* - - - - - - - - - - - - - - 64

PEPYS.—*Ex Isaiæ capite* 14 - - - - - - - - - - - 66

HEATH.—Τῶν μνῆσαι φίλε τέκνον - - - - - - - - - - 70

FOSTER.—*Sublatum ex oculis quærimus* - - - - - - - 72

MACDONALD (Sir JAMES).—*Ad Fredericum secundum Prussiæ regem* - - - - - - - - 74

WALDEN (Lord).—*Laudaturque domus, longos quæ prospicit agros* - - - - - - - - - - - - - 76

CHAMBERLAYNE (THOMAS).—*Votis omnibusque et precibus vocat* - - - - - - - - 78

FOX.—*Vocat labor ultimus* - - - - - - - - - - - - 80

THORNTON.—*Ad amicum hiemem otiosè agentem* - - - - - 82

REPE.—*Arte emendaturus fortunam* - - - - - - - - - 84

PEPYS.—*Tristis superstitio* - - - - - - - - - - - - 86

ORDE.—Ταῖα Πάμπαν ἐύῤῥηνος καὶ εὔβοτος - - - - - - 89

GALLY.—*Arbor manet, et semper manebit, sata est enim ingenia* 91

JONES.—*Votisque Deum venerabere seris* - - - - - - - 93

PEPYS.—*Omnibus umbra locis adero* - - - - - - - - - 95

RIDDING.—*Circum compita pugnax* - - - - - - - - - 97

LEYCESTER.—Σιγή - - - - - - - - - - - - - - - - 100

GALLY.—*De dolo malo* - - - - - - - - - - - - - - 102

WARD.—*Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto* 104

TIGHE.—*Carmine Di superi placantur, carmine Manes* - - 106

STORER.—*Vos valete et plaudite* - - - - - - - - - - 108

Page

TIGHE.—Φοῖβος πολίεσσι φιλήδεϊ Κτιζομέναις - - - - - - 110
PEPYS.—*Adamicum Cantabrigiensem* - - - - - - - - 112
MADDOX.—*Ex Isaiæ capite* 14 - - - - - - - - - - 114
BAKER.—Περί πρύλιν ὠρχήσαντο - - - - - - - - - 118
GRIFFITH.—*Omnibus umbra locis adero* - - - - - - - 120
LENS.—*Ad anum quæ prima docuit elementa* - - - - - 122
CHAMBERLAYNE.—*Chorus ex Sophoclis Œdip. Colon. v.* 1099 124
COOKE.—*Mutas agitare inglorius artes* - - - - - - - 127
LUXMOORE.—*Mortem senis expectare longum censent* - - - 129
LAMBTON.—*In alaudam, quæ cæcatis oculis obiit* - - - - 131
HARE.—*Animus cujusque est quisquis* - - - - - - - - 133
WARD.—*Celebrare domestica facta* - - - - - - - - - 135
COOKE.—Αὐτίκα δίζητο ῥόον ὕδατος - - - - - - - - 138
LENS.—*Hortus ubi* - - - - - - - - - - - - - - - 142
HARE.—*Domus commune perfugium* - - - - - - - - 144
GOODALL.—*Rapido pariter cum flamine* - - - - - - - 146
HARE.—*Turnum ad certamen itura alloquitur Lavinia* - - 149
HARE.—*Externo commissa duci* - - - - - - - - - - 151
JONES.—*Chorus ex Euripidis Hippolyto, v.* 733 - - - - 153
TIGHE.—*Admonitu locorum* - - - - - - - - - - 155
PEPYS.—*Ad Fredericum secundum Prussiæ regem* - - - - 157
PEPYS.—*Dolens insolabiliter* - - - - - - - - - 159
JAMES.—*Quod scit uterque libens, censebo, exerceat artem* - 162
TIGHE (EDWARD).—*Deferar in vicum* - - - - - - - 164
TIGHE.—*Moveat cornicula risum Furtivis nudata coloribus* - 166
CONWAY.—*Sic eat, quæcunque Romana lugebit hostem* - - 168
JAMES.—*Chorus ex Euripidis Hecubâ, v.* 444 - - - - - 170
TIGHE.—Φοῖβος πολίεσσι φιλήδεϊ Κτιζομέναις - - - - - - 172
TIGHE.—*Cercopithecus Corinnæ* - - - - - - - - - 175
HEALD.—Ὁ τῶν ἰδιωτῶν βίος ἄριστος - - - - - - - - 177
TURNER.—*In obitum J. Algood* - - - - - - - - - 179
CHAMBERLAYNE.—*Sopitos deludunt somnia sensus* - - - 181
CONWAY.—*Rapiamus, amici, Occasionem de die* - - - - 183
TIGHE (EDWARD).—*Noctem addens operi* - - - - - - 186

INDEX.

Page

CONWAY.—*Dapes mensæ brevis* - - - - - - - - - 188

FOOTE.—*Carent quia vate sacro* - - - - - - - - - 190

HERBERT.—Περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο - - - - - - - - - 192

HARRIS.—*Sopitos deludunt somnia sensus* - - - - - - - 194

LANE.—*Chorus ex Euripidis Hippolyto, v.* 733 - - - - - 196

HEATH.—*Lucus in arce fuit summâ, quà sacra ferebant* - - 198

SUMNER*.—*Ad reverendum virum J. Burton* - - - - - 200

LEYCESTER.—*Ex Homeri Iliad. ζ. v.* 390 - - - - - - 202

TIGHE.—*Ad J. Bing ante Minorcam* - - - - - - - 204

PLUMER.—*Adrasti mors* - - - - - - - - - - - 207

HARE.—*Donatus rude* - - - - - - - - - - - - 209

COOKE.—*Irritat, mulcet* - - - - - - - - - - - 211

BASTARD.—Εὖτε τὴν ἐὶ ἀριτῆς ὁδὸν τρέψονται - - - - - 214

FOX.—Ἄγγελος ὄρνις - - - - - - - - - - - - 216

WARD.—*Vitæ me redde priori* - - - - - - - - - 218

HARE.—*Ex Ezekiel, cap. vicesimo sexto* - - - - - - - 220

DAMPIER.—*Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo* - 223

WELLESLEY (Lord).—Ἀμύνασθαι περὶ πατρῆς - - - - - 225

BASTARD.—Εἴρξης ἐωῦτὸν ἐμαχάρισι, μετὰ δὲ τῦτο ἐδάκρυσι - 229

MITCHELL.—*Stellæ sponte suâ, jussæne vagentur* - - - 231

CONWAY.—Εἶΐ' ὡς ἠβώοιμι - - - - - - - - - - 234

BEAUCHAMP (Lord).—*Nec turpem senectam Degere* - - 236

HARDINGE.—Ἔβαλες κειμάδεσσι χαλινά - - - - - - - 238

HARE.—*Mens vegetam se ad somniandum acremque præbet* - 241

JODRELL.—*In nuptias principis hæredis Brunsviaci, &c.* - 243

HARE.—*Non eadem est ætas, non mens* - - - - - - - 245

BEAUCHAMP (Lord).—*Varias usus meditando extunderet artes* 247

BAKER.—Κακὸν μαχάρισσιν ἐρίζειν - - - - - - - - - 251

DUER.—Ἄγγελος ὄρνις - - - - - - - - - - - - 253

JODRELL.—Ὀδῷ ἔπι οἰκία ναίων - - - - - - - - - 255

SARGENT.—*Donatus rude* - - - - - - - - - - 258

BAKER.—*In obitum augustissimi principis Georgii secundi* - 260

* *al. Branfoot.*

Page

MACDONALD (Sir JAMES).—*Chorus ex Sophoclis Œdip. Colon. v.* 1099 - - - - - - - 263

THORNTON.—Δὴν δέ μιν ἀμφασίη ἐπίων λάβε - - - - - - 266

SELWYN.—*Mobilis aër* - - - - - - - - - - - - - - 268

WELLESLEY (Lord).—*Natura dominetur* - - - - - - 274

RUSHOUT.—*Phædra loquitur* - - - - - - - - - - - 276

HEATH (GEORGE).—*Philosophiam devocavit è cælo* - - - 278

STORER.—*Vota Deum primo solvebat Eoo* - - - - - - 280

WELLESLEY (Lord).—*Animi motus* - - - - - - - - - 284

BAKER.—*Chorus ex Sophoclis Œdip. Colon. v.* 700 - - - - 286

CONWAY.—*Verba quibus voces sensusque notarent* - - - 289

BEAUCHAMP (Lord).—*Chorus ex Sophoclis Œdip. Colon. v.* 700 292

GIBBS.—*In obitum reverendi viri J. Burton* - - - - - - 295

MACDONALD (Sir JAMES).—*Quem nec longa dies, pietas nec mitigat ulla* - - - - - - 297

HEATH (GEORGE).—*Eloisa Abelardo* - - - - - - - 299

POST.—*Sublimia curant* - - - - - - - - - - - - - 302

JONES.—Ἐλεινῆς ἐπιθαλάμιος - - - - - - - - - - - 305

HEATH.—Αἰθὴρ Χάλκειος ἀντήχησε διαπρυσίαν ὀλολυγήν - - 307

HARVEST *.—*Novistine locum potiorem rure* - - - - - - 310

EDEN.—*Lucidus æther* - - - - - - - - - - - - - - 312

HEATH.—*Iarbas loquitur* - - - - - - - - - - - - 314

SARGENT.—*Silvæ filia nobilis* - - - - - - - - - - - 317

STORER.—*Ad augustissimum principem Georgium tertium* - 321

JODRELL.—*Puella ad Catellum* - - - - - - - - - - 323

DAMER.—Ἄγγελος ὄρνις - - - - - - - - - - - - - 326

HARE.—*Fessas cohortes Pierio recreatis antro* - - - - - 328

FAZAKERLEY.—*Dementia versat* - - - - - - - - - - 330

PRIDEAUX.—*Chorus ex Sophoclis Œdip. Tyran. v* 471 - 332

WELLESLEY (Lord).—*Vos valete et plaudite* - - - - - - 334

* *Quædam in hoc a Poematibus Italorum surrepta deprehendi; quod notandum est, ne ab aliis obiiciatur.*

ERRATA.

P. 19, *V.* 12. *Pro* Sed *lege*, Nec
62, 10. — aut insidiosa *lege*, aut digitum insidiosa
63, 22. — Suorum *lege*, Sororum
72, 12. — eccipiens *lege*, excipiens
76, 17. — suppositas *lege*, suppositos
78, — VOTES *lege*, VOTIS—*v.* 7. jumdudum *lege*, jamdudum
82, 3. — referneat *lege*, refrenat
88, 45. — docuir *lege*, docuit—*v.* 49. seget *lege*, sedet
93, 3. — comitte *lege*, committe
96, 33. — migrantis *lege*, nigrantis
98, 9. — habebant *lege*, habebunt
120, 4. — memoris *lege*, nemoris—*v.* 12. pallantem *lege*, pallentem
121, 32. — exurgunt *lege*, exurgent
122, 7. — linqua *lege*, lingua
123, 29. — eruduit *lege*, erudiit
131, 10. — una. *lege*, unâ
132, 34. — Philumela *lege*, Philomela
134, 28. — Hectoreas *lege*, Hectoreos
137, 47. — retrorsisti *lege*, retorsisti
140, 64. — pluviorum *lege*, fluviorum
155, 8. — maneat *lege*, marceat
159, 17. — Vidimis *lege*, Vidimus
162, 16. — vivis *lege*, viris
166, 3. — occiduis *lege*, occiduus
168, 19, 20. — fratrer—fatre *lege*, frater—fratre
171, 23. — inclytæque. *lege*, inclytæque
179, 2. — infernas *lege*, infernos
191, 23. — tuas *lege*, tuos
195, 32. — fustra *lege*, frustra
205, 35. — precumbens *lege*, procumbens
211, 4. — conoras *lege*, canoras
221, 39. — tacere *lege*, referre
222, 61. — sentient *lege*, sentiet
224, 25. — nacitur *lege*, nascitur
231, 6. — coalscere *lege*, coalescere—*v.* 7. quoque *lege*, quo se
232, 26. — Ingeniam *lege*, Ingenium
235, 26. — nescis *lege*, necis
240, 53, 59. — errumpit—errudiit *lege*, erumpit—erudiit
241, 19. — recemiferi *lege*, racemiferi
264, 26. — Lupati *lege*, Lupata
268, 17. — flammine *lege*, flamine
271, 73. — vescicam *lege*, vesicam—*v.* 75. æquam *lege*, æquum
278, 5. — gyrosque *lege*, gyrosque passim
284, 1. — sololes *lege*, soboles—*v.* 12. pectores *lege*, pectoris
299, 15. — pallidorum *lege*, pallidarum
303, 24. — amœnaque *lege*, et florea
304, 60 — pugnos *lege*, pugnas
305, 11. — inclyte *lege*, inclyta
317, 14. — vestice *lege*, vertice
319, 53. — auchora *lege*, anchora
320, 69. — revisit *lege*, revisat
328, 13. — Dephica *lege*, Delphica
330, 19. — gravitos *lege*, gravatos
334, 6. — linguere *lege*, linquere